




1
7
393









Q. D. O. M. B. V.
FAVENTE
JVVENTVTIS PRINCIPE
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
DOMINO
JOHANNE VVILHELMO
SAXONIÆ DVCE

MEMORABILIA
HISTORIÆ
LVNEBVRGICÆ

EXPLICABVNT
CASPAR SAGITTARIVS D.
HISTOR. SAXON. P. P.
ET
HEINRICVS GAVSE
LVNEBVRGENSES.

TYPIS NISIANIS
ANNO CIↃ IↃC LXXXVIII.

INCLVTÆ CIVITATIS
LVNEBVRGENSIS
PATRIBVS PATRIÆ
CONSCRIPTIS
DOMINIS
CONSVLIBVS
SYNDICIS
SENATORIBVS
VIRIS MAGNIFICA AVCTORITATE
SPLENDIDA GENERIS NOBILITATE
SVMMO RERVM VSV
CONSPICVIS
MÆCENATIBVS AC PATRONIS
SVIS MAXIMIS

humillime offert

RESPONDENS.



AD ERUDITISSIMUM

DN. RESPONDENTEM.



Jacuit hactenus, nescio an deserta prope, dulcissimæ patriæ nostræ historia. Si enim exceperis brevem illum, eundemqve non tam historicum, quam poeticum abavi mei Lucæ Lossii libellum, cujus vestigiis Thomas Mavverus gener ejus visus est insistere, non puto qvemqvam in rebus Luneburgensium describendis singulariter fuisse occupatum: aut, si id a qvoqvam factum,

in-

in dias tamen luminis auras labores nonpervenisse existimo. Atqve id me movit jampridem, hanc provinciam suscipere, eoque & meam in his talibus honestam curiositatem satiare, & Patriæ infinitis modis de me meritæ qvalemcunqve vicem reddere. Sic nata est ante hoc sexennium Antiqva Luneburgi historia: *qvam, qvod ex Electorali Dresdensi, aliisqve publicis, sed & privatis Mæcenatum qvorundam bibliothecis mecum communicarentur scripta non vulgaria, ad præsens usqve sæculum continuavi. Huic opusculo qvid sit futurum, nondum novi, neqve etiam sollicitius censui rimari, ne ista, quæ nondum limam*

ac-

accepere ſuam, ac multimoda acceſſione non minus, qvam emendatione habent opus, feſtinanter nimium in publicum protrudere voluiſſe viderer. At enim, ut explorem tamen, quodnam ſit Patriæ Patrum, ac bonorum, qvi hæc intelligunt, civium de conatibus meis judicium, malui ex commentariis illis præcipua qvædam ſeligere, ſelecta certis inciſis concludere, ac ea, ſicubi opus, annotationibus illuſtrare. Ex his nata ſunt, quæ cum elogio Memorabilium Hiſtoriæ Luneburgicæ *nunc edo, ac, pro more in Academiis conſveto, doctorum cenſuræ expono. In hac opella, quod Tu, mi* GAVSI, *Reſpondentis vices volueris ſuſcipere,*


id

id eſt, quod me affecerit non parum. Qvandoqvidem enim per ipſum quod in hac Academia meisqve ædibus exegiſti biennium, & qvod excurrit, compoſitis tuis moribus, ardore diſcendi, ac rariori induſtria, adeo mihi Te probaſti, ut vix a Te fieri potuiſſet magis; magnæ mihi cedit voluptati, qvod, cum publicum doctrinæ ſpecimen ſtatueris exhibere, in id incideris, qvod non poteſt non Te commendare bonis omnibus, ac inprimis illis, a qvibus tam exqviſite mihi fuiſti commendatus. Vt enim id, qvod res eſt, fatear, nemo hactenus meorum adventavit ciuium, tot ac tantis ſtipatus, &, ut Plautus loquitur, viaticatus

tus

tus commendatitiis. Sed & ipſe tuis te ſtudiis ac moribus ita mihi commendaſti, ut niſi perhonorificum tibi darem teſtimonium, non facerem utiqve & civis, & hoſpitis, & præceptoris boni officium. Qvod ſi vero ita (uti ſpero atqve opto) perrexeris, nullus dubito, qvin porro dulciſſimos Parentes vehementer exhilaraveris, ac Patriæ qvoqve egregiam aliqvando operam navaveris; ſed & mihi (ſi vixero) occaſionem dederis locupletiſſime Tibi gratulandi.

Vale.





§. I.

LUNEBURGI origines non satis sunt certæ ac indubitatæ, castrum tamen illud, cui postea oppidum accessit, antiqvissimum esse, non immerito asserimus.

Omnes illæ urbes ac castra Germanica, de quorum ortu nihil certi constat, longe antiqua esse credimus. Enimvero probabile est admodum, iis condita fuisse temporibus, quando majores nostri multum de gerendis, parum de scribendis rebus forent solliciti. Quod si dixeris, periisse, vel alicubi latere ejusmodi scripturas; nescio qui tot anxiæ clarissimorum virorum a renatis humanioribus literis curæ omnino in fumos ac ventos abierint. Si cui tamen licuerit esse tam felici, ut hæc talia investiget, eidem maxime, sed & patriæ modis omnibus gratulabimur.

II. Si quid autem dandum conjecturis, burgum illud in monte calcifero primum a Saxonibus, vel etiam Francis Saxonum domitoribus ad comprimendos Linonum (Slavi sive Wendi erant trans Albim colentes) hostiles excursus conditum opinamur.

Favet huic conjecturæ Luneburgi (sive Lineburgi, vel Lyneburgi; uti quidam scribunt) etymon, quod a Linonibus malim repetere, quam ab anili fabula, Lunam pro Dea heic cultam. Omitto reliquas origines alibi a nobis discussas.

III. Paruit itaqve burgum Ducibus Saxoniæ Wittikindea gente satis: ac nominatim Ludolpho, Ottoni, & Henrico Aucupi.

Otto hic, Henrici Aucupis pater, Ludolphus avus fuit.

Et ne dubites, Ottonem in manibus habuisse castrum Luneburgicum, in quibusdam Annalibus vocatur *Dux de Luneburg*: a sede nimirum potiori.

IV. Qvia Henricus Auceps tot alias condidit atqve auxit urbes Saxonicas, Luneburgum inter illas fuisse, vero nobis videtur simile.

Legendi hic sunt Witichindus Corbejensis, Gőbelinus Bilfeldiensis, Auctor Annalium Mindensium, ac Albertus Krantzius: quorum testimonia in *Bardewico*, *Antiqua Luneburgensi Historia*, ac alibi jam laudavimus.

V. Extremis fere temporibus Ottonis Magni, Luneburgum accepit Hermannus Billingus Comes, novus Dux Saxoniæ, qui possessionem castri ac urbis ad filium & nepotes Bennonem, Bernhardum, Ordulfum ac Magnum transmisit.

Hermannus ille vicaria primum potestate Saxoniam rexit,
965 post ab Ottone Imp. an. ɔɔcccclxv. creatus fuit Dux Saxoniæ hæreditarius. *Comitem* appellavimus, non ruricolæ filium, aut novum ex infima nobilitate hominem; qvas gerras explosere Meibomianæ *Vindiciæ*, in æterno Opere Henrici Meibomii Iunioris nuper recusæ.

VI. Hermannus, sive struxit, sive auxit novum monasterium in monte, Michaeli Archangelo dicatum, in
973 qvo & sepultus est anno Iɔcccclxxiii.

Structuram monasterii Hermanno adscribunt Chronicon antiqvum Saxonicum, Tritthemius in *Chronico Hirsaugiensi*, Krantzius in *Saxonia* & *Metropoli*, Franciscus Irenicus in *Exegesi Germaniæ*, Sebastianus Munsterus in *Cosmographia*, David Chytræus in *Saxonia*, Henricus Meibomius Senior in *Chronico Monasterii Bergensis*, Lucas Lossius in *Lunæburga*, Thomas Mauerus in *Explicatione Insignium Lunæburgæ*, Matthæus Dresserus de *Germaniæ Vrbibus*, Petrus Bertius in *Commentariis Rerum Germanicarum*. Verum ad Ottonem, Henrici Aucupis patrem, refert Auctor anonymus de *fundatione quarundam Germaniæ Ecclesiarum temporibus Karoli Magni*: quod & nos probamus:

bamus: sic tamen ut prædiis aliisque bonis ab Hermanno auctum putemus. De morte Hermanni agit Witichindus; de sepultura Ditmarus Præsul Mersburgensis: ex qvo simul apparet Svibertum Episcopum Verdensem excommunicationis Hermannianæ obtentu usum, a paterna sepultura aliquamdiu arcuisse Bennonem filium: quem is Bernhardum vocat.

VII. In eodem monasterio sepultus est Benno, Hermanni filius, qvem Albertus Stadensis, & Auctor vitæ S. Meinwerci decessisse tradunt anno CIↃX. 1010

Posterioris verba afferam: *Anno* X. *Indictione* VIII. *dehinc proxima Idus Februarii Bernardus pius Dux Saxonicus, filius Hermanni Ducis obiit.*

IIX. Bernhardo Hermanni ex Bennone nepoti adscribitur tabulæ aureæ vel hodie superstitis donatio vere magnifica.

Sic enim canit noster Losſius de hac tabula:

Inclytus hanc sacræ Bernhardus contulit ædi
Tertius a Biling Hermanno Principe claro.

Ac iterum:

Tertius hinc præstans Bernhardus munit & auget
Prædia dans, reditus, sylvas, aurique tabellam.

Neque tamen hæc res est extra controversiam, alibi a nobis expositam: ac dignus est, qui legatur Meibomius Senior *in Notis ad Bardewicum.*

IX. Anno CIↃXIII. ingens terræ hiatus Luneburgi contigit, a Ditmaro descriptus. 1013

Lib. IV. Chronici: *In civitate*, inquit, *Bernhardi Ducis Luinberg dicta, eodem anno aeris mira fit mutatio atque motio, & immensus terræ hiatus. Hoc stupet accola, & sæpius, nunquam vidisse testatur.* Præcipuam hujus hiatus causam in salinis Luneburgicis quærendam, existimo: ac memini me adolescente geminum casum fuisse observatum.

X. Anno CIↃXXXII. Godescalcus W[illegible]nis Slavorum reguli filius, in Luneburgensi monasterio liberalibus studiis eruditus, a morte Patris ad vomitum gentilitium fuit reversus. 1032

 Vi-

Videantur Adamus Bremensis *lib. II. cap. XLVII.* Helmoldus *lib. I. cap. XIX* Albertus Stadensis *ad laud. annum* Krantzius *Saxon. l. IV. c. XXXVIII. Wandaliæ lib. II. cap. XLVI. Metropol. lib. IV. c. XI.*

XI. An Bernhardus, ejusqve gnatus Ordulfus, qvo-
1062 rum alter anno CIƆLXII. alter anno CIƆLXXVIII. mor-
1078 tui, Luneburgi sint sepulti, non habeo affirmare. Neque tamen id affirmanti repugnaverim.

Circa hæc tempora (anno nempe CIƆCLXXII.) Lüne, illustre cœnobium monialium fuisse conditum, Henricus Meibomius Senior in Appendice *Historiæ Bardewici* observavit.

XII. Ordulfo successit Magnus Dux, cui Luneburgum eripuit Henricus IV. ab Hermanno, Magni patruo, post gravem obsidionem receptum.

Præcipuam horum motuum historiam debemus Brunoni monacho, belli Saxonici hac tempestate ferventis scriptori, a Frehero edito. Conferri etiam meretur Lambertus Schafnabur-
1073 gensis ad annum CIƆLXXIII. De colloquio Henrici Imp. cum Svenone Daniæ Rege, sive Bardewici, sive Luneburgi habito in *Historia Bardewicensi* egimus.

XIII. Ab excessu Magni mascula prole orbi, Luderus sive Lutherus Dux Saxoniæ, ac Dominus Luneburgi factus, ex quo Rex Germaniæ renunciatus, una cum Ducatu Saxoniæ patriam nostram resignavit genero suo Henrico Superbo, ex Welphica stirpe Bojoariæ Duci.

1106 Magnus Dux anno CIƆCVI. mortuus, filiarum unam Wulfhildam nomine, despondit Henrico Nigro Bojoariæ Duci, Patri Henrici Superbi. Luderus Lotharii nomine celebrior re-
1125 gnum Germaniæ indeptus est anno CIƆCXXV. Ducatum autem
1136 Saxoniæ genero reddidit anno CIƆCXXXVI.

XIV. Post mortem soceri, Henrico sceptrum Germaniæ affect[illegible]ti a Conrado III. Ducatus abjudicatur Saxonicus, sub[illegible]to Alberto Urso: qui Luneburgum anno
1138 CIƆCXXXVII[illegible] occupans mox amisit. Sed Henricus
1139 brevi possessione gavisus, anno CIƆCXXXIX. non sine suspicion[illegible]ccepti veneni, obiit.

Singula harum historiarum momenta in *Bardewicensibus* expendimus, ac nonnulla quoque in *Originibus* ac *Incrementis Luneburgi.*

XV. Plena est historia Henrici Leonis, Henrico Superbo geniti, rerum Luneburgensium: sed quas multis repetere religioni mihi duco, ne quod in Antiqua Historia Luneburgensi actum, denuo videar agere.

Typis eadem est exscripta ante hoc sexennium, idque impensis Respondentis, M. Nicolai Eggers, tum egregii humaniorum literarum ac SS. Theol. Studiosi, nunc Ecclesiastæ Luneburgensis dignissimi, quem honoris ac amoris causa nomino. Afferam tamen summa capita huc pertinentia. Anno 1144
CIↃCXLIV. Alberonem Bremensem Archiepiscopum, Stadensem Comitatum sibi vindicantem cepit, & in arce Luneburgensi detinuit. Albertus Stadensis, Krantzius *Metrop. l. VI. c. XVIII.* Ibidem Vicelinum Altenburgensi Episcopatu investivit. Helmoldus *lib. I. c. LXX.* Hermannus de Lerbeke in *Chronico Comitum Schaumburgensium*, & Auctor Chronicæ Slavicæ *cap. XXIII.* Postea in Bojoariam profectus, Clementiam uxorem reliquit Luneburgi: a qua inibi auxilia contra vicinos Slavos petiit Niclotus Obotritorum Princeps. Helmoldus & Lerbecius *locis laudatis.* Ne quid detrimenti paterentur Luneburgenses Salinæ, Oldesloicas obturari fecit anno CIↃCLI. Helmoldus *lib. I.* 1151
cap. LXXVI. Lerbecius, Anonymus Chronicæ Slavicæ scriptor, Henricus Aqvilonipolitanus *de primordiis Lubicanæ urbis lib. I.* Krantzius *Wandal. l. IV. c. XV. Metropol. l. VI. c. XLV.* Anno
CIↃCLXXII. ex Palæstina redux, Luneburgi, petentibus Canoni- 1172
cis Lubecensibus permisit, ut Henricum Abbatem Brunswicensem eligerent Episcopum. Circa annum CIↃCLXXIX. Nata- 1179
litia Christi celebrans Luneburgi, Vlricum Episcopum Halberstadensem ante annos aliquot captum libertati restituit. Arnoldus Lubecensis *lib. III. c. XXIX.* Anno CIↃCLXXXI. denuo 1181
Natalem Christi agens Luneburgi, Bernhardum Comitem Raceburgensem proditionis accusatum cum Volrado filio in vincula conjecit. Arnoldus *d. l. c. XXXIII.* Henricus Aquilonipolita *lib. I. c. XV.* Anno proximo cum Fridericus Imp. ad 1182
cx-

expugnandam Lubecam in Saxoniam moveret, Henricus Dux Luneburgum illustribus præsidiis firmat: Ludovicum tamen Thuringiæ Landgravium, hactenus Luneburgi detentum Sigebergam mittit. Arnoldus *cap. XXXIV.* Krantzius Saxon. *lib. VI. c. XLII.* Dedita Lubeca, Fridericus Imp. Luneburgum obsedit: at deprecante conjuge Henrici, quæ pro dotalitio habebat, a vi abstinuit. Arnoldus *d. l.* Chronicon Bigaugiense. Eo in his angustiis deductus Leo, per internuncios animum Imp. lenire studuit. Arnoldus. Mox in Angliam exulatum secedens ereptis terris qvamplurimis, Brunswicum ac Luneburgum ex hoc naufragio servavit. Arnoldus *cap. XXXVI.* Variloquus
1189 Antiquitatum Erphordensium MS. Anno CIↃCLXXXIX. a diruta Bardewico multum crevit Luneburgum. Auctor Chronici Slavici, Munsterus *Cosmograph. lib. III.* Georgius Fabricius in *Historia Electorum Saxoniæ*, Angelius Werdenhagen *Rerumpubl. Hanseaticarum parte III. cap. II.* Taceo recentiores.
1195 Paucis moneo, Henricum Leonem anno CIↃCXCV. Brunswici mortuum fuisse & sepultum.

XVI. Ex filiis Henrici Leonis, Wilhelmus Luneburgum accepit: qui ob id Hermanno Lerbecio audit Dux
1212 Luneburgensis. Ibidem anno CIↃCCXII. sepultum tradit Cl. Winckelmannus.

In *Arboreto Genealogico Ducum Brunswico-Luneburgensium*: cujus novam editionem avide exspectamus.

XVII. Otto, Wilhelmo natus, prius quam Brunswico potiretur, *de Luneburg*, & *Dominus de Luneburg*, post *Dux de Brunswick* nominabatur. Atque hic est, qui an-
1235 no CIↃCCXXXV. oppidum Luneburgense ex proprio Imperatorium feudum fecit: quod a Friderico II. receptum, ac Brunswico junctum, cum novo Ducis Brunswico-Luneburgensis nomine, ad seros transmisit posteros.

Hæc omnia fuse &, ceu spero, curate sunt exposita in *Originibus Ducum Brunswico-Luneburgensium.* Ex ipso Erectionis Ducatus diplomate pauca excerpam: *Insuper proprium castrum suum Luneborg, quod idiomate Teutonico vocatur* Eygen/

cum

cum multis aliis castris, terris & hominibus eidem castro pertinentibus in nostram proprietatem & dominium specialiter assignavit, ut de eo quicquid nobis placeret, tanquam de nostro proprio faceremus. Nos autem, qui tenemur modis omnibus Imperium augmentare, prædictum castrum Luneborg, cum omnibus castris pertinentiis & hominibus suis, quemadmodum ex ejusdem Ottonis assignatione in proprietatem accepimus, in præsentia Principum in Imperium transtulimus & concessimus, ut per Imperium infeudari debeat. - - Quapropter consilio, assensu & assistentia Principum civitatem Brunswic & castrum Luneborg cum omnibus castris, hominibus & pertinentiis suis univimus, & creavimus inde Ducatum, & Imperiali auctoritate dictum consanguineum nostrum Ottonem Ducem & Principem facientes, Ducatum ipsum in feudum Imperii ei concessimus ad heredes suos filios & filias devolvendum.

XVIII. Otto ille novis privilegiis & legibus ornavit Luneburgum, ac, donec moreretur anno CIↃCCLII. sin- 1252
gularem hujus urbis curam habuit.

Id quod clarius pateret, si (quod Annales patrii laudant) diploma Luneburgensibus gratiosum, multorum Comitum, nobilium ac ministerialium testimoniis firmatum anno CIↃCC-XXXVIII. datum una cum aliis ejus generis superaret. Vetus Chronicon Saxonicum rhythmicum Luneburgi humatum tradit Ducem.

XIX. Ex filiis Ottonis Iohannes, partitione cum Alberto fratre facta, Luneburgensibus potitus, Salinas Luneburgenses mirifice excoluit, præsertim postquam nova reperiretur vena, quæ Novæ Sulciæ nomen dedit.

In hoc argumento occupata est dissertatio nostra *de Originibus ac Incrementis Sulciæ Luneburgensis* anno - LXXV. typis exscripta. Adde sequentia ex Chronico MS. Iacobi Schomakeri: De Borne upder nyen Sülten van anno 1269. by 1269
Hartogen Johannis Tyden erfunden und angefangen.

XX. Novam illam Sulciam a Iohanne Duce Prælati potissimum, ab his Senatus Luneburgensis acceperunt.

Li-

Libellus quidam MS. de Salinis Luneburgensibus: *Novam Salinam fodit & invenit Iohannes Dux de Brunswick, eamque Prælatis & Capitularibus cæterisque resignavit, pro qua dabunt ei, qui reditus habent in Salina, in antiqua Salina de quinquaginta domibus in ipsa constitutis centum & quinquaginta choros salis in quolibet flumine. - - Idem pro gratia & favore & pro telonio in nova salina, quod ibi de sale accipere consvevit, penitus removendo Prælati cæterique habentes bona in salinis eidem Duci mille octingentas marcas examinati argenti exsolverunt. Actum anno Domini* MCCLXXIII. *in die Viti.* Chronicon Schomakeri breviter: Anno 1273. **hefft Hartog Johannes de nye Sülte verkofft.** Anno demum CIƆCCCLXXXV. Senatus novam Sulciam Prælatis acceptam veteri conjunxit.

XXI. Idem novos magistratus Sulciæ ac negociis salinaribus præfecit, ac, ut Patricii in his occupati a reliqvis civibus qvodammodo distingverentur, ludos singulares nonnisi a Patriciis celebrandos excogitavit, a raptatione Cupæ nomen habentes: qvi demum Patrum nostrorum memoria desierunt.

Ex MS. Chronici latini fragmentis aliqua adscribam: *Sub hoc Principe statutum, ut uni ex Senatoribus, qui tantum Magister Salinæ quoque sit, vulgo* **Sultzmeister** */ salinæ cura cum singulari juramento singulis annis committatur, cum titulo Magistri putei* (**Soetmeister**) *ut sit quasi judex & magistratus Salinæ, & interea ab omnibus aliis officiis civilibus immunis & liber. - - Præterea quoque ordinatum, ut singulis annis duo ex Magistris Salinæ eligantur, cum titulo Barimagistrorum* (**Baarmeisters**) *quorum officium esse debet, ut publicæ utilitati provideant, & præscribant, quo pretio sal vendi debeat; & quo tempore exportari, & in quæ loca. Et tandem sub hoc Duce quoque ordinatum, ut alius adhuc deputaretur officiarius, cum nomine Buthimagistri, cujus officium esse deberet, ut singulis annis prospiceret atque curaret, ne lites ratione salinarium bonorum orirentur, sed æqua distributione inter Magistros Salinæ eas lites præcaveret.*

De ludo illo nobili (**dat Kopeföhren** dicebatur domi) plura commemorat dicta nostra dissertatio, alibi forte retexenda.

XXII.

XXII. Antiqva qvæ vocatur Sulcia in qvatuor & qvinqvaginta domunculas distincta est, qvarum singulæ qvatuor, & qvod mirantur exteri, plumbeas habent sartagines, in qvibus interdiu noctuqve sal coqvitur.

In Electorali Dresdensi Bibliotheca MS. asservatur liber, antiqvitates urbis Luneburgensis, ac in primis salinarias illustrans, ex qvo nonnulla afferam, sed ex germanico latine versa: *In Sulcia sunt domus qvinqvaginta qvatuor, qvarum unaqvæqve ab antiqvo proprium habet nomen. in singulis domibus qvatuor plumbeæ sunt sartagines, in qvibus interdiu noctuqve sal coqvitur. Ex qvalibet domo procedunt* XV. *chori, & qvilibet chorus dividitur in tria plaustra* (**Fuder**) *& qvodlibet plaustrum in qvatuor* (Liceat ita exprimere domesticam vocem **Rump**) *rumpones. Qvodcunq; sal non venditur interdiu, in certis casis, quas habent Patricii, asservatur, ac complectuntur hæ casæ octodecim, viginti, triginta, sexaginta, octoginta, nonaginta, imo etiam centum choros.* (**Wispel**) *In unaqvaqve domo coqvuntur septem vel octo tinæ, pro bonitate aqvæ salsuginosæ, vel lignorum etiam, aut cura operarum. Singulæ tinæ sex modios continent. Aqvæ salsuginosæ, qvæ ex profundis puteis hauritur, certi deputati sunt dies, qvibus per qvinqvaginta qvatuor domus distribuitur, & in dies* XXVI. *sartagini addicitur fusio* (**eine Bate**) *& hi* XXVI. *dies dicuntur flumen.* (**eine Flut**) Subjicio nomina domuncularum sive tuguriorum in antiqva Sulcia: I. Gößeling. II. Elverding. III. Betzhausen. IV. Uding. V. Eming. VI. Ebbing. VII. Ludolffing. IIX. Egeding. IX. & X. Cluving. XI. Everning. XII. Deying. XIII. Ebtzing. XIV. Geming. XV. Müntzing. XVI. Eding. XVII. Denckwering. XVIII. Soderhing. XIX. Glüsing. XX. Kemping. XXI. Greving. XXII. Boving. XXIII. Volckwerding. XXIV. Erdering. XXV. Gerarding. XXVI. Lotering. XXVII. Veling. XXVIII. Brening. XXIX. Stardt. XXX. Hingst. XXXI. Hannover. XXXII. Dörntzing. XXXIII. Hüning. XXXIV. Dorntzing Infra. XXXV. Hütting. XXXVI. Uling. XXXVII. Hoying. XXXVIII. Sevening. XXXIX. Volckwerding Infra. XL. Metting. XLI. Egberding. XLII. Barning. XLIII. Memming. XLIV. Eying. XLV. Hennering. XLVI.

XLVI. Wöldering. XLVII. Bernding supra. XLVIII. Bernding infra. XLIX. Bernding perversum. L. Brockhusen. LI. Bützing. LII. Benning. LIII. Dittmering. LIV. Codesing. Qvia autem pleraqve nomina in ing desinunt, id pro singulari nota antiqvitatis habeo: ac parum abest, qvin credam, reliqva recentius ævum sapere: qvando scilicet nova veteri Sulciæ est conjuncta.

XXIII. Post Ducem Iohannem ejusqve inclytos posteros, Patricii illi in rebus salinaribus non minus qvam in regenda urbe occupati, optime de patria sunt meriti: ut adeo tam familiarum exstinctarum, qvam etiamnum maxime in ipsa patria florentium memoria bonis omnibus debeat esse commendabilis.

Ex priori classe nobis sunt noti, Alveslebii, Apenburgii, Apensei, Badendorpii, Bardewicii, Benii, Beerii, Bergii, Boltzenii, Brandesii, Bredecovii, Bruggii (van der Brügge) Carstenii, Contzenii, Coppenii, Coppingii, Crusii, Dalenburgii, Derstenii, Dickii, Duckelii, Eimbecii, Elbecii, Eltenii, Emsenii, Endewatii, Eppensii, Flewickii, Garlingii, Garlopii, Gisenii, Glodenii, Godenstedii, Grabovii, Graurockii, Grönhagenii, Groningii, Hagenii, Hakeri, Hakii, Hassekenii, Heuckii, Hoderi, Hogetredii, Hoickii, Hoiemanni, Hoieri, Hollii, Hundii, Iungii, Iuttebrockii, Karckosii, Kniggii, Krogeri, Kruckii, Krultzenii, Lampii, Langii, Lentzenii, Lohii, Moydenii, Münteri, Mutzeltinii, van der Mölen/Neubaueri, Obeleggeri, Oldendorpii, Oldesenii, Osenbruggii, Papenii, Poldenii, Probstii, Radebrokii, Radekenii, Ravenii, Reinstorpii, Reinstedii, Resii, Ribii, Rockschwalii, Rodewoldii, Rubovii, Ruscheri, Salderi, Salingii, Sandii, Scharnbecii, Schelii, Schelpeperi, Schneideri, Schneverdingii, Schomakeri, Semmelbecceri, Senckenstakii, Senckenstedii, Sendenii, Sommeri, Sootmeisteri, Springintgudii, Staketonii, Stüveri, van der Sülten/Tilitzii, Vltzenii, Viskulii, Warendorpii, Wenckesternii, Widenii, Winsenii, Wintenii, Wittigii, Wolteri, Wulschii.

Ex altera classe habemus laudare Borcholtios, Brömsios, Brunswigios, Dasselios, Ditmersios, Döringios, Elveros, Laffer-

ferdios, Mölneros, Müteros, Stoteroggios, Tobingios, Witzendorpios, Zarstedios.

XXIV. Iohanne[illegible]ux anno CIϽCCLXXVI. in aula Dalenburgica placide obiit, ac Luneburgi in monasterio S. Michaelis sepultus est. 1276

MS. Chronicon: *Tandem cum ambo* (Albertus & Iohannes) *in sua qvisqve ditione rem satis pro arbitrio succedentem læti viderent, prior Iohannes ad annum* CIϽCCLXXVI. *circa festum S. Luciæ, qvo singulis annis solitus erat convivio solenni Magistri Putei pro tempore existentis Luneburgi interesse, Dalenburgi, ubi aulam tenuit, in fata concesit, & a militibus & ministerialibus, a qvibus mirum in modum adamatus fuerat, corpus ejus exanimatum humeris portatum est Luneburgum usqve ad sepulturam in templum montis S. Michaelis.*

XXV. Iohannis filius ac successor, Otto Strenuus, Senatui populoqve Luneburgensi impense favit, ac multa eis indulsit privilegia. Vita excesit anno CIϽCCCXXX. 1330
ac Luneburgi sepultus est.

Vsus fuit seqventi titulo: *Otto Dux de Brunswick, ac Dominus in Luneborg.* Epitaphium ei positum ferunt his verbis conceptum: DOMINVS OTTO DVX BRVNSWICI ET LVNEBVRGI PRINCEPS SERENVS ET PACIFICVS QVI OBIIT MCCCXXX. V. NON. APRILIS.

XXVI. Annus CIϽCCCXXXIII. Luneburgo valde 1333
fuit funestus, plerisqve domibus in Sulcia exustis die S. Kiliani.

De hoc incendio seqventes facti sunt versiculi:

Anno milleno, ter C, tribus I, terque deno
Igne Salina ruit, Chilianus qvando lucescit.

Itemqve isti Germanici:

De men schref dusent drehundert dre und dertig Jahr/
Is de Sülte afgebrennet vorwahr/
Up Sanct Kiliani Dag gerad/
Welcks grote Moie gemacket hat.

XXVII. Postqvam Otto Dux, Ottonis Strenui filius, nulla relicta prole mascula, vita defunctus, inqve monasterio castrensi Luneburgico sepultus est, solus in Ducatu Luneburgensi regnavit Wilhelmus Ottonis frater. Et hic qvidem cum itidem careret filiis, hæredem primo scripsit Albertum Saxoniæ Ducem, ex Agnete filia nepotem. Et licet postea alterum generum Ludovicum, & ab illius obitu Magnum fratrem ejus, Duces Brunswicenses, hæredes designaret, Albertus tamen, Caroli IV. auctoritate, ac Luneburgensium favoribus adjutus, Luneburgensem Ducatum ac urbem accepit, Magni milite ex
1371 jam recepta Luneburgo anno CIƆCCCLXXI. rejecto.

Horum motuum historiam reservamus Dissertationi singulari, *de Pistore Luneburgensi fortiter pro patria pugnante*. Enimvero aut valde fallor, aut aliqvi perperam de motibus illis judicantes, non satis sunt edocti horum temporum historiam.

XXVIII. Tentata qvidem aliqvoties fuit inter Magnum & Albertum compositio: sed cum uterqve suo juri nollet cedere, in cassum abierunt omnia: & qvia Magnus Pirnæ (qvo litigantes evocaverat Cæsar) non comparebat, Ducatus Luneburgicus denuo Alberto dicatus, ac Ma-
1373 gnus brevi post (annus erat CIƆCCCLXXIII.) in pugna cum Ottone Comite Schauenburgensi confossus est.

Videantur de hac pugna Lerbecius in *Chronico Schauenburgensi*, Krantzius *Saxoniæ lib. IX. cap. XXXIX.* Buntingius in *Chronico Brunswicensi.*

XXIX. Hac tempestate monasterium S. Michaelis, qvod hactenus in ipso monte fuerat situm, in urbem transferri cœpit, novaqve ædes sacra condita, & ab Henrico Langen Episcopo Verdensi fuit consecrata.

Factum id temporibus Werneri Groten, Abbatis Luneburgici, qvi Iohanni Schlepegrell succesit. Ossa Ducum in æde S. Cyriaci, qvæ ad pedem montis erat, sunt recondita. Stru-

ctu-

cturæ novi templi curam gessere Henricus Sotmeisterus & Brandanus Zarstedius, Senatores. Ipsum tamen monasterium ante annum CIↃCCCLXXXVIII. non videtur exædificatum: qvo primum Canonici Lüna (ubi tamdiu manserant) in urbem concessere in festo Petri & Pauli.

XXX. Anno CIↃCCCLXXVII. Carolus IV. Imp. mense Novembri Luneburgum venit, a Senatu populoqve splendide exceptus. 1377

De Caroli in urbem ingressu Henricus Meibomius Senior hos versiculos reperit in codice MS.

Post tria C, post M, post septuagintaqve septem
Sancti Martini profesto, mense Novembri
Tunc Cæsar Augustus Romanus Rexque Bohemus
Ad Luneburgensem Carolus pervenerat urbem.

XXXI. Anno CIↃCCCLXXXI. Margareta, Alberti de Lubbeken vidua, domum suam in foro boario Segebando Vossio & Eberhardo Marenholtio vendidit: qvi eandem porro Alberto Duci reddiderunt. Atqve ex eo tempore Principum domus (das Fürsten-Haus) appellari cœpit. 1381

XXXII. Anno - - LXXXV. Senatui Luneburgensi Dannebergа & Luchovia ab Alberto Duce fuerunt oppignorata. 1385

Priori oppido nomine Senatus præfecti dati sunt Hermannus Sporckius & Mangoldus ab Estorp.

XXXIII. Monasterium etiam Vallis S. Mariæ (Hilligen Daler-Closter) ex agro in urbem fuit translatum.

Factum id die S. Bartholomæi festum seqvente, idqve inter freqventia, qvæ tum coruscabant, fulmina & tonitrua.

XXXIV. Hoc ipso qvoqve anno Albertus Dux Saxoniæ ac Luneburgi ad Rickelingam tormento percussus, truncato pede post paucos dies occubuit, ejusqve exanime corpus Luneburgi fuit humatum.

XXXV. Alberto in Ducatu Luneburgico successit patruelis Wenceslaus, Elector Saxoniæ: cujus tamen filias duas cum ducerent Fridericus & Bernhardus fratres, Magno Torqvato geniti, non affinitas modo, sed & pax

coaluit: excluso tamen tertio fratrum Henrico, qvi magnas ob id excitavit turbas.

De conditionibus pacis non æqve convenit inter Historicos. Qvidam volunt generos permisisse socero Ducatum Luneburgensem, a cujus obitu ad seniorem fratrum laudatorum, & hoc exstincto ad seniorem Saxonicorum Ducum a Wenceslao descendentium devolveretur. Nonnulli a Wenceslao & Bernhardo commune regimen institutum volunt, sic tamen ut absente socero solus rerum potiretur gener. Qvomodocunqve autem res comparata, id certum, Henricum a fratribus præteritum eorum pactis reclamasse; tractisqve in partes Schwicheldiis & Stenbergiis, pagos ac minora oppida in Ducatu Luneburgensi devastasse: id qvod factum anno CIↃCCCLXXXVII.

1388 XXXVI. Cum anno CIↃCCCLXXXVIII. nova cum Wenceslao socero, ut & Rudolpho Saxoniæ Duce pacta inirent generi, ac mox Bernhardus sigillatim sibi prospiceret, hic a Conrado Steinbergio captus, ac non multo post Wenceslaus in obsidione Cellensi tormento ictus vivere desiit. Ex eo Henricus Wenceslai ac socias copias, devicit, & Winsenam ad Alleram occupavit.

Longa est horum motuum historia, alibi σὺν Θεῷ sollicitius exponenda. Neqve enim hic integram scribimus historiam patriam, sed ex eadem electa proponimus. Pro capto Bernhardo frustra diu laboravit socer, cum interea temporis Henricus Catharinam Alberti Saxonis viduam Cellis migrare compelleret, eandemqve regiam suam faceret. Catharina illa anno CIↃ-
1390 CCCXC. mortua ad latus mariti sepulta fuit Luneburgi. Wenceslaus novum castrum Winsenam ad Alleram excitavit, qvod Senatus Luneburgensis præsidiariis suis auxit. Sed dum Cellas fortiter oppugnat, graviter vulneratus vita excedit. Auctor tamen Compilationis Chronol. a Pistorio editus veneno sublatum tradit. Sepultus est Luneburgi in nova æde S. Michaelis. In prælio post mortem Wenceslai ad Alleram commisso Henricus & Fridericus (nam hic a Saxonicis & Bernhardo Patre secessionem fecerat) victores, tres Ottones cepere, Episcopum Mindensem, Schauenburgicum ac Hojanum Comites, Diterico Sprin-

Springintgudio Cos. Luneburgensi fuga ægre sibi consulente, multis suorum amissis, captis pluribus.

XXXVII. Exin Luneburgensis Ducatus una cum metropoli ex Saxonicorum manu ad Magni Torqvati filios rediit; sic tamen ut Saxonici aliqvamdiu non desinerent præferre Ducatus Luneburgensis titulum.

Certe Rudolphus Saxoniæ Elector anno CIↃCCCCXV. usus est titulo seqventi: Wir Rudolff von Gottes Gnaden / zu Sachsen und Lüneburg Hertzog / Pfaltzgrafe zu Sachsen / Grafe zu Brene / Burggraff zu Magdeburg / des Heiligen Römischen Reichs Ertz-Marschalck.

XXXVIII. Anno CIↃCCCXCI. fossatum ex Albi ad Mölnam usqve ducens, ad sal Lubecam devehendum magnis cum impensis fuit confectum. 1391

Videatur Krantzii *Wandaliæ lib. IX. c. XXVI.* ubi tamen in chorographiam peccat, qvando novum illud fossatum primum in Elmenoviam pertingere dixit, unde in Albim sit descensus. Sed res se habet aliter. Nam per Stekenizam in fossatum, atqve ex eo in Albim devenitur: mox ex Albi descensus est in Elmenoviam, qvæ Luneburgum olim alluit, nunc distingvit. Nam loqvi Krantzium de Lubecensibus Luneburgum navigaturis, non contra, in propatulo est. Porro in eo qvoqve fallitur Krantzius, qvod sal & ponderosæ merces aliæ, Luneburgo Lubecam, ac deinceps Hamburgum soleant deferri. Nam qvis nescit, longe minori impensa per Elmenoviam ac Albim Hamburgum, qvam per novum illud fossatum ad Stekenissam (veros mæandros) Lubecam versus, atqve exinde Hamburgum perveniri?

XXXIX. Anno CIↃCCCXCII. inter Bernhardum ac Henricum Duces, itemqve civitatem Luneburgensem novum ortum est dissidium: qvod primo licet feliciter compositum, mox tamen recruduit, aliis atqve aliis causis emergentibus: cumqve urbi faveret Otto Comes Schaumburgicus, iras Ducum incurrit. 1392

Qvænam prima harum litium causa, nondum mihi satis certo constat. Qvod post redintegratam concordiam ea denuo la-
be-

befactata, qvinqvaginta millia marcarum Lubecensium se ere, qvæ jam a Luneburgensibus soluta exigebantur denuo, qvod forsan in spicatas aliorum manus incidissent. In Comitis provincia laudati Duces castrum condidere Fredenou dictum, & ipsi & subjectis inimicum valde.

XL. Anno CIↃCCCXCVI. cum Luneburgo nimium
1396 gravis esset Henricus Dux, ac frustra pro ea deprecarentur urbes Hansicæ, res ad arma devenit: ac tum non modo Hansa, sed & Nobiles qvidam suppetias tulere Luneburgicis. Post variam utriusqve partis fortunam induciæ triennales sunt initæ.

Henricus occupata Vltzena, Winsenæ ad Luhamfluvium Luneburgensium navigia sal Hamburgum & Lubecam deferentia detinuit: subditis etiam suis imperans, ne qvid commeatus vel deveherent in urbem, vel inde repeterent. Inter milites Ducis nemo ipsis infensior Iohanne Meltzingio eqvite, qvi, qvos cepit, cives truncato pede dimisit. Adi Krantzium *Metrop. lib. X. c. XXXVIII.* Luneburgensibus pro fœdere Hansico inprimis opem ferebant Hamburgenses & Hannoverani. Suam qvoqve opem Senatui addixere, Statius a Mandelsloh, Iohannes Cluverus, aliiqve Nobiles. Hinc oppidani eruptione facta, palos & saxa, qvibus Elmenoviam obstruxerat Henricus, disjecerunt.

XLI. Sed qvod his in motibus magnum æs alienum contraxissent Luneburgenses, nec absqve Prælatorum ope id haberent expungere, cum hi se difficiliores ostenderent, facilior erat Innocentius VII. Papa in elargienda bulla, Prælatos in partem trahente: qvi demum precibus victi qvartam proventuum salinarium partem Senatui cessere, donec ære alieno se liberassent.

Ajunt in tabulariis superesse bullam Pontificiam, dignam qvæ daretur in lucem.

1405 XLII. Anno CIↃCCCCV. novi motus inter Henricum Ducem & Luneburgum coorti, majus huic intulissent infortunium, nisi is a Bernhardo Comite Lippiano ca-

captus, & in custodia Falckenbergensi duriter fuisset habitus.

XLIII. Anno CIↃCCCCVI. turris ædis Iohanneæ fulmine tacta conflagravit. 1406

De hoc incendio seqventes exstant versiculi in sacrario templi Iohannei:

Iam Domino nato milleno sex sociato
Cum qvadringentis virtute rogi vehementis
Virginis in festo dum sumpsit Ave Gabrielis
Redduntur præsto campanellis Michaelis,
Æthereum fulmen tantum discrimen agebat.
Facta fuit mox horrida nox, non lætitiæ vox.
Multi prostrati, læsi sunt fulminis ictu
Quidam servati vita remanent sine victu.
Evitare velis si pœnas ulteriores
Dæmonis a telis studeas convertere mores.

XLIV. Anno CIↃCCCCVII. Conradus Verdensis Episcopus Rotenburgi demortuus, in æde S. Michaelis Luneburgi humatus est. Successores habuit duos, in schismate scilicet electos, Vlricum, Canonici Juris Doctorem, Gregorio XII. Papæ adhærentem, & Henricum Comitem Hojanum, ab Alexandro V. probatum. Et ille quidem in domo Verdensi aliqvamdiu habitavit Luneburgi. 1407

De Conrado legendus est Krantzius *Metropol. lib. XI. cap. III.* De Schismate Verdensi ex schismate Papali nato alibi dispiciendum.

XLV. Anno CIↃCCCCIX. Sacrarium S. Nicolai, ex qvo postea parochialis ædes nata, ab Vlrici Episcopi Verdensis Vicario Burchardo de Monte fuit consecratum. 1409

Sacrarium illud fundavit Senatus, eoqve duas sacerdotales Vicarias ex æde ad S. Spiritum minori transtulit. Principi Patronorum Nicolao socii dati sunt Stephanus Protomartyr, Mauritius cum commilitonibus, & virgo Barbara.

XLVI. Anno CIↃCCCCXVII. legati Luneburgenses ex Con- 1417

 stan-

ſtantienſi Synodo retulerunt privilegiorum urbis confirmationem per Sigismundum Cæſarem factam.

Legati fuere Henricus Viſculius Cos. & Ditericus Springintgudius Senator. Tertia poſt feſtum Paſchatos hebdomade abeuntes, paulo poſt feſtum Michaelis reverſi ſunt.

1419 XLVII. Anno CIↃCCCCXIX. Feſtum Corporis Chriſti Pontificium primum celebrari cœpit Luneburgi.

1423 XLIIX. An CIↃCCCCXXIII. Wilhelmus Dux Brunſwico-Luneburgenſis nuptias celebravit Luneburgi cum Cæcilia Friderici Electoris Brandenburgenſis filia.

Tangit has nuptias Krantzius *Saxon. lib. XI. cap. X.*

1424 XLIX. Anno CIↃCCCCXXIV. turris Springintgudiana, ac cærulea magnis impenſis ſunt conſtructæ.

Altera prope monaſterium S. Michaelis, inter Novam & Bardewicenſem; altera inter Rubeam & Salinarem portas. Illa jam deſtructa, hæc mala captivis manſio eſt.

1437 L. Anno CIↃCCCCXXXIV. Bernhardus Dux Winſenæ decedens Luneburgi ad S. Michaelem tumulatus eſt.

1435 LI. Anno ſeqvente, Nicolao Archiepiſcopo Bremenſi corpore ac animo langventi ſucceſſor dabatur Boldewinus, nobilis dynaſta a Wenden, Abbas Luneburgenſis, qvi Abbatiam retinuit.

Auctor anonymus Chronici Slavici: *Boldewinus Abbas S. Michaelis in Luneborch electus eſt, & conſecratus in Archiepiſcopum Bremenſem, retenta Abbacia in commendam.* Confer Krantzium *Metropol. l. XI. c. XXXVI.* Optime de hoc novo Archiepiſcopo meritus eſt Senatus Luneburgenſis: ſed eo ipſo æs alienum auxit. Obiit Archiepiſcopus anno CIↃCCCCXLI. Voluiſſe illum Luneburgi qvieſcere, ſed tamen Bremam relatum, notat Krantzius in *Metropol. d. l.*

1436 LII. Anno CIↃCCCCXXXVI. cum de novo aqvæductu ex Obacra (Ocker) in Alleram ageretur, atqve id in damnum inſigne Salinarum verteret Luneburgenſium, ut id impediretur, Senatus omnem movit lapidem.

Im-

Impensas Luneburgensium ultra octoginta marcarum millia excrevisse ferunt.

LIII. Eodem tempore cum Magdeburgenses sal Stasfurtense ac Saltzense per Albim ad Mecklenburgica devehere vellent, precibus Luneburgensium moti, his consiliis obstitere Marchio Brandenburgicus, Principes Anhaltini, Episcopus Havelbergensis, & Gansius Dynasta Putlicius.

LIV. Anno CIƆCCCCXXXIX. Otto & Fridericus, Bernhardi Ducis filii, Luneburgensium privilegia confirmarunt, addito superpondio, ne qvis novus aqvæductus Luneburgo incommodus per ipsorum provincias pararetur. 1439

LV. Anno CIƆCCCCXL. porta Bardewicensis fuit constructa. 1440

Sic sane reperio in Annalibus: neqve tamen id de prima structura, sed de nova ejus forma castelliformi accipio.

LVI. Anno seqventi mœnia ab Elmenovia usqve ad Sulciam, ac deinceps a monte calcifero ad Elmenoviam condi, turribusqve distingvi cœpere, adjuncto fossato amplo ac profundo. 1441

Tribus annis hæc structura fuit absoluta. Impensæ steterunt centum ac septuaginta marcarum millibus.

LVII. Etiam novum castrum ad alterum littus Elmenoviæ e regione monasterii Lünensis construebatur, a vulgo Stür-Lüne dictum.

Hoc gravibus de causis postea fuit dirutum, cumqve anno CIƆIƆLXVI. pestis grassaretur vehementius, nosocomium ibidem conditum, qvod in præsenti durat.

LVIII. Anno CIƆCCCCXLII. Senatus Luneb. a Wilhelmo, Friderico atqve Ottone Ducibus montem calciferum coemit. 1442

Idqve ut eo major calcis suppeteret copia ad construenda mœnia. Wilhelmo duo florenorum Rhenensium millia octin-

 gen-

gentas item ſeptem ac qvinqvaginta marcas; Friderico ac Ottoni ſedecim marcarum millia perſoluta fuiſſe, reperio.

1444 LIX. Anno CIↃCCCCXLIV. diviſo Archidiaconatu Modeſtorpienſi, Præpoſitura ad S. Iohannis ædem, conſentiente Epiſcopo Verdenſi, condita, bullaqve Papali fuit confirmata. Vltimus Archidiaconorum erat Conradus Apenburg, Præpoſitorum primus Iohannes a Minda. Nuperrime ea dignitate auctus eſt Hermannus Fridericus Witzendorpius, Senator genere, doctrina ac meritis nobilisſimus.

Origines hujus Præpoſituræ memorant Auctor Chronicæ Slavicæ, & Krantzius *Wandaliæ lib. XII. cap. XII.* Iohannem a Minda ſecuti ſunt Leonhardus Langius, Conditor domus Præpoſituræ Luneburgenſis: Arnoldus de Heida, Bremenſis, Iuris Doctor: Iohannes Barum, Hanoveranus: Johannes Sartorius a Thuna: M. Iohannes Colerus, Hagenſis: Iohannes Knauſtius de Wismaria, I. V. D. Iacobus Schomakerus, Patricius Luneburgenſis & Canonicus Bardewicenſis: Henricus Stappenſen, Brunſwicenſis, I. V. D. Henricus Borcholt, Luneb. I. V. D. M. Valentinus Guden, Senatus Luneb. Protonotarius: Henricus de Senden, I. V. D. Leonhardus Elver, Patricius Luneb. I. V. D. Henricus Backmeiſter: Wilhelmus Walckóvius D. Cos. Henricus Crolovius D. Cos. Georgius a Daſſel, Cos.

LX. Eodem anno ædes ſuburbana S. Gertrudis ad portam rubeam fuit conſtructa,

Primum lapidem ex decreto Senatus, die XX. Auguſti poſuit Henricus Langius Cos. In hanc ſtructuram impendebantur ter mille, ſexcentæ quatuor & octoginta marcæ. Diruta fuit hæc ædes, relicto minori ſacrario anno CIↃ IↃ LIII.

1447 LXI. Anno CIↃ CCCCXLVII. primum coeperunt graves illi motus dulcisſimam patriam per complures annos vehementer concutientes. Nati fuere ex debitis publicis: ad quæ expungenda Prælati vel nullam vel parvam contribuere volebant ſymbolam. Præcipuus incentor fuit Dite-

Ditericus Schaperus, Præpositus Lünensis parthenonis: de quo tamen Senatus optime fuerat meritus.

Nam ex Protonotario Senatus, atqve hujus præcipua commendatione, Præpositus Lünensis, Conrado Zarstedio successit anno CIↃ CCCCXLII. Æris alieni summa erat primum novem mille centum ac qvinqvaginta marcæ: sed in dies illa fuit aucta.

LXII. Confugit qvidem Senatus ad opem Nicolai V. Papæ: sed hunc perdifficilem admodum sensere, animo jamtum per Prælatos occupato.

Nam in tempore a Prælatis Romam missus erat Conradus Hollemannus, Ducum scriba primarius, qvi ibidem impetravit bullam Luneburgensibus infestam: qvam eandem brevi post confirmavit Papa: in alia omnia abeunte Rotæ Romanæ, ac aliis item judiciis. Qvæ cum seqvi vellet Senatus, adventat Conradus de Blanckenburg, Cardinalis & Camerarius Papæ: qvi splendide exceptus Luneburgi, svasit Senatui, ut denuo Prælatos vocarent, faciliores forsan sese præbituros.

LXIII. Anno CIↃ CCCCL. Prælati magno numero Luneburgum venere, cum quibus per Conradum Cardinalem, & Johannem Episcopum Verdensem diligenter egit Senatus de liberaliori contributione: qvæ cum negaretur, Senatus adversus hanc pertinaciam protestabatur. 1450

Aliqva qvidem permittebant, sed æri alieno plane non respondentia.

LXIV. Atqve o utinam omnes Prælati Episcopum Verdensem fuissent secuti! Sic enim nec patriam meam, nec se qvoqve tot implicuissent malis.

Is namqve singularem comminiscebatur modum juvandi res afflictas Luneburgenses, per illam, qvæ vocabatur, *Ordinantiam*: qvam a nonnullis Prælatis probatam, reliqvis reluctantibus Romanus Pontifex noluit confirmare.

LXV. Sed qvi Episcopum rejiciebant, reluctaban-

tur qvoqve Adolpho Sleswicensi Duci, in redintegranda concordia sollicite laboranti, comitiis tum Segebergæ, tum Mölnæ institutis.

Ad priorem conventum Senatus misit Marqvardum Middelhauptium, scribam primarium; ad posteriorem Johannem Springintgudium Cos. Hartwicum Schomakerum, & Albertum van der Mölen/Senatores.

LXVI. Interea Prælati per legatos Romam missos bullam nacti sunt Pontificiam, qva jubebantur Luneburgenses omnia debita exsolvere Prælatis: ac novus in hac causa judex dabatur Ditericus Dumpenitius, Decanus major Halberstadensis: qvi Senatum Halberstadium evocatum, nec dicta die comparentem excommunicabat.

Prælatorum legati erant Johannes Rhodius Præpositus Bremensis, & Henricus Dunckerus Canonicus Lubecensis. De-
1452 cani Halberstadensis citatio anno CIↃ CCCCLII. in die S. Thomæ cathedrali Ecclesiæ Bardewicensi affixa, sed a Canonicis præpropere refixa, ante proximum festum Paschatos non innotuit Luneburgensibus: qvi a Decano excommunicati innocentiam suam ac Bardewicensis cleri astum demonstrabant. Licet autem accepta pecunia excommunicationem tolleret Decanus, mox tamen contra jus ac fas repetit.

LXVII. Sed Senatus ad futurum Concilium provocans, excommunicationem insuper habuit, ac Clericos sacra facere detrectantes dimisit.

Inprimis Johannes Langius ad S. Johannem Præpositus provocatione illa nixus, perrexit aliquamdiu obire sacra munia.

LXVIII. At Ditericus Schaperus jam exul Johannem fratrem Romam miserat, qvi bullam retulit Prælatos Luneburgo faventes excommunicantem: cumqve hi una cum Senatu Romam ablegarent viros gravissimos de vi ac injuria qverentes, in carcerem conjecti sunt: qvos per Albertum van der Mölen/Consulem, Senatus non sine insigni lytro liberavit.

Scba-

Schaperus Luneburgo prohibitus, ac repetundarum reus (nam ultra sedecim florenorum millia ex bonis Lünensis monasterii abliguriverat) jussu Verdensis Episcopi, Præpositura exutus, fuga sibi consuluit, in curru fimo onusto abditus, atqve dein exul Brunsvici, Hildesiæ ac Hannoveræ agebat: non intermittens tamen res novas moliri. Bulla, qvam frater ejus Romæ accepit, inter alios damnabat Langium Luneb. Præpositum, & Luderum Lertem, Præposituræ Lünensis Administratorem. A Prælatis & Senatu Romam missi sunt M. Johannes Gerbertus, Præpositus qvondam Kühorstanus, M. Nicolaus Graurockius, Archidiaconus Bevensanus, M. Nicolaus Stacketo, & Otto Berlinius. Procuratores Capitulorum Lubecensis ac Hamburgensis Stacketonis cubiculum irrumpentes Romæ, arcanas, qvas penes se habebat, scripturas compilarunt, descripserunt, ac passim divulgarunt. Anno CIↃ CCCCLIII. laudatus 1453
Cos. Romam profectus circiter mille aureos (qvos ducatos vocamus) expendit, ut captivos liberaret, cetera nihil obtinens, imo nec a Pontifice admissus.

LXIX. Neqve tamen sacra qvieverunt ante diem S. Sviberti, qvo Clerici Senatui adhærentes omnes & singuli anathemate Papali percussi, atqve exin variis promiscuæ plebis ludibriis fuere expositi.

Alicubi tamen clausis januis celebrabantur missæ: & Canonicis ad S. Michaelem licebat per plebanum domi baptizare infantes, ac morituris S. Eucharistiam porrigere.

LXX. Jam cives aliqvot Pontificia excommunicatione pro obtentu usi, novisqve rebus studentes in horto qvodam conventicula habebant. Inter hos primipili erant Vlricus Schaperus, Diterici Ex-Præpositi frater, & Neubaueri tres, qvi mox in partes trahebant Johannem Dalenburgium publicanum.

Ab horto illo *eqvites hortenses* (die Garten-Ritter) vocabantur. Meinhardus Neubauerus inter Patricios, Johannes Advocatus urbis, & alius Johannes propola. Dalenburgius alioqvi vir erat bonus, & hactenus Senatui fidus: sed a reliqvis deceptus male sibi consuluit.

LXXI.

1453 LXXI. Ineunte anno CIↃ CCCCLIII. Adolphus Dux denuo in redintegranda concordia occupatus Luneburgum venit, Episcopum Lubecensem Arnoldum Westphalium, & legatos hujus urbis adducens: ac tantum valuit horum auctoritas, ut dimidia pars Prælatorum in constitutionem illam Verdensis Episcopi concederet.

Legati Lubecensis Senatus erant Wilhelmus a Calven Consul, & Bartholomæus Nieradius, Senator.

LXXII. Sic igitur Senatus causæ bonitate fretus, refractariorum Prælatorum bona fisco addixit: & licet mox eadem reciperent, tantum tamen aberat, ut id ad eos demulcendos valeret, ut potius Senatum de vi ac spolio Romæ accusantes, a Nicolao Pontifice referrent bullam minis turgidam: qvam post brevem moram Decanus Halberstadiensis Vltzæ publicavit, ac passim per vicinas urbes ac vicos fecit promulgari.

Redditionem bonorum Senatui svadebant Adolphus Dux, Verdensis ac Lubecensis Episcopi, itemque Lubecæ, Hamburgi, Brunsvici, Hildesiæ & Hannoveræ legati: qvi ad diem Jacobi iterum convenerunt Luneburgi. Quod ad literas Papæ, fatetur Auctor Chron. Slav. *inter cetera iis præceptum Proconsules & Consules a consularibus officiis velut infames abjicere, & alios loco eorum surrogare, sub certis gravibus pœnis.* Confer Krantzium *Wandaliæ lib. XII. cap. XIX.*

LXXIII. Hæc bulla januam seditioni civium aperuit: condito sexaginta-virali collegio: qvod Prælatis svadentibus, claves portarum ceterorumque propugnaculorum extorsit Senatui, eundemque non multo post præsentibus Prælatis exauctoravit, atqve ex sua fæce novum Senaculum creavit.

Qvi loco movebantur Consules erant Johannes Garlopius, Johannes Springintgudius, Henricus Langius, & Albertus van der Mölen: Senatores autem Ditericus Brömsius, Hartwicus Schomakerus, Johannes Elverus, Johannes Tobingius, Henricus

cus Viſcalius, Luderus Stoteroggius, Henricus van der Mölen/ Conradus Schelpeperus, Luderus de Winſen, Johannes a Loh, Ericus Giſius, Eccardus Wangelovius: qvibus alii Henricum Wittingium & Johannem Elebekium addunt. His a Johanne van der Mölen (is ante triennium Senatu motus domo pedem non extulerat: ſed nunc novo a conjuratis honore mactus elector novitii Senatus factus eſt) ſurrogabantur Henricus Ribe & Henricus Senkſtakius Coſſ. itemqve Senatores Johannes a Greve, Luderus Warendorpius, Nicolaus Viſculius, Henricus Grönhagen, Johannes Witzendorpius, Johannes Senkſtakius, Henricus Vpleggerus, Eccardus Cruſius, Henricus Probſtius, ipſo qvoqve Johanne van der Mölen inter illos manente.

LXXIV. Neqve hic ſtetit horum hominum protervia: ſed Senatores depoſitos variis modis cruciabant, bona domeſtica & externa ipſis eripiebant, ac tandem Johannem Springintgudium Conſulem in turrim illam, qvæ poſtea ab eo nomen accepit, compingebant: in qva peſſime habitus exſpiravit.

Omnes illas turbas non capit hæc ſcriptio: ſed pleniorem hiſtoriam, ſi Deo ac Mæcenatibus ita viſum, alii reſervamus operi. De fato optimi ac de patria optime meriti Conſulis tantum adſcribam verba Krantzii ex *Wandaliæ lib. XII. c. XIX.* *Erat ex Proconſulibus qvidam, qvi pro animi magnitudine & conſtantia etiam nollet (qvum potuiſſet) cedere, qvod ſibi nihil male conſcius erat in omni cauſa, paratus etiam pro juſtitia, ne periclitetur, occumbere. Cæteri qvi remanſere, mulctantur ære: unus ille omni honore & vita longiore digniſſimus, carceri includitur. Servat turris ea nomen tum primum incluſi, qvod nova nec dum alium ſervaſſet carceratum. Is tamen vel carceris duritie, vel aëris incluſi intemperie, vel (qvod multi ſuſpicantur) de manu medici dato veneno, vitam amiſit in carcere.* Cum turris illa anno CIϽ IϽC LI. juſſu Sereniſſimi Ducis Chriſtiani Ludovici exſcinderetur, memini B. Parentem meum innocentiſſimi Conſulis fatum repetere, & in ipſa hujus turris fortuna

agnoſcere divinam manum : qvæ poſt aliquod ſæcula dirutam voluerit turrim Conſuli ſuo olim tam moleſtam.

LXXV. Corpus exanime primum obſcuriori loco tumulatum: ſed poſtea rebus compoſitis effoſſum, inqve æde S. Johannis honorifice fuit conditum.

Nimirum ab exceſſu viri corpus in alterum diem jacuit neglectum: ac tum a qvibusdam ex ima plebe raptum in vicino Prioris ad S. Michaelem horto, ſub receptaculo vehiculorum ſepultum, tamdiu qvievit; donec Senatus excommunicatione Pontificia ſolutus, dignitatiqve priſtinæ reſtitutus ſingularem curam habuit funeris Springintgudiani. Factum id anno CIↃ CCCC LXIII. qvo ſumma cum reverentia totiusqve cleri concurſu oſſa ſunt effoſſa, & in ædem S. Johannis ad ſacrarium Corporis Chriſti delata. Æternum bene ſit animæ, ac donec Luneburgum ſteterit, vigeat memoria optimi Conſulis!

LXXVI. Jam in reliqvos Coſſ. & Senatores cudebatur faba: qvorum nonnulli in carceres conjecti, aliqvi domi manere juſſi, ceteri patria pulſi erant; cum Bernhardus Dux Brunſwico-Luneburgenſis, Adminiſtrator Hildeſienſis Scharnbecam evocatos ob has turbas corriperet novos Senatores : qvæ caſtigatio tantum valuit, ut poſtea paulo moderatius agerent.

Nam Wittingium, Stöteroggium & Elebekium arreſto ſolverunt : ac Wangelovium qvoqve captivum dimiſiſſent: modo non (qvod Springintgudium hactenus viventem, & alios nondum liberatos audiret) ſponte maluiſſet manere in carcere. Mox tamen per Fridericum Ducem ac Bernhardum filium ejus, itemqve legatos Lubecenſium facta qvædam eſt compoſitio, pro qva & reliqvi captivi fuere dimiſſi. In Eccleſiæ qvoqve communionem nonnulli ſunt recepti : in qvo multum valuit pecunia ſacris hominibus ſoluta.

LXXVII. Mirum, qvid hoc tempore moverit Fridericum Placidum Saxoniæ Electorem, exauctorati Senatus cauſam agere. Nam eundem non modo Friderico

Duci

Duci Brunſvico-Luneburgenſi, ſed & novo Senatui hoſtilia denuntiaſſe reperio. Fecit hoc qvoqve Fridericus Archiep. Magdeburgenſis: atqve item Henricus Mecklenburgicus.

Parum tamen promoverunt. Nam ex qvo duodecim pagos in tractu Bardewicenſi diripuerunt, ab oppugnatione Clotzæ caſtri receſſere. Si Hoppenrodii *Albo* fidem habemus, Guntherus Comes Barbyenſis controverſias inter Magdeburgum (neſcio an intelligat Archiepiſcopum) & Luneburgum compoſuit.

LXXVIII. Commodum interim Fridericus III. Cæſar de his motibus, ac inprimis nece Springintgudiana edoctus, non modo cognitionem cauſæ aliqvot urbibus, ſed & ſingulari legato commiſit, jubens Senatum novum rationem geſtorum reddere, exauctoratos Senatores recipere, bonaqve iiſdem reſtituere.

Ditericus Springintgudius, B. Johannis Cos. frater M. Nicolaum Stacketo ad Cæſarem miſerat: qvem ſecutus nomine priſtini Senatus Marqvardus Middelhauptius: qvi commoda fandi nacti tempora, pluribus expoſuerunt, qvantas turbas dederit Senatus novus. Hinc cauſa Senatui Lubecenſi, Bremenſi, Hamburgenſi, Brunſvicenſi, Stadenſi ac Buxtehudano fuit credita, qvorum legati cum Cæſareo Luneburgum venientes mandato munere defungebantur.

LXXIX. Mandatum Cæſareum paſſim affixum in terrorem conjecit turbones, eorumqve patronos: qvod multo factum magis, poſtqvam appellatio novorum hominum rejecta, novumqve mandatum cum acerbiori pœnarum denuntiatione ſecutum.

Siniſterius hac de re loqvitur Auctor *Chronici Magdeburgenſis* ab ExcellentisſimoMeibomio nuper publicatus *Tom. II. Rer. Germanicarum.*

LXXX. Movit hoc bonos qvoſdam ac patriæ amantes cives, ut auctis ſubinde viribus obicem ponerent in-

ſolentiæ LX-viralis collegii, noviqve Senatus. Sed ex illo nonnulli in tempore aufugerunt: ceteri Friderico Duci ob id vocando, ac bonis civibus qvi parerent, promittere neceſſum habuerunt.

LXXXI. Poſt adventum Ducis (qvod factum anno
1456 CIↃ CCCCLVI. die Dominico Martini feſtum excipiente)
exauctorati Senatores in urbem rediere: ac tum poſt ſollicitam inqviſitionem apparuit, qva fide rem publicam curaſſet Senatus novus. Qvi propterea ipſius Friderici ore exuere indebitam dignitatem juſſus eſt, non aliis iterum electis, qvam qvi per ſummam injuriam Senatu erant moti. Geſta a Bernhardo Duce ſunt confirmata.

Ipſam formulam Principis dialecto patria conceptam ex Chronico veteri ſubjicio: Jy / de iy nömen de Rath tho Lyneborch / ſchöllen upſtan / un geven över den Rathſtoel. Jy hagden den Börgern nich lang vor ein Radt. Jy hebben ſe nich wol vörgeſtaan / un ock ſcholle iy ghan in iuw Hus / un dar nich uth / ſünder der Börger willen: und düſſes dot iy ſo williglick und ungedrungen. Ock ſo willen de Börger enen andern Rath erwälen / den will unſe gnädige Heer beſtädigen / de ſe vörſtahe. De hac converſione rerum Luneburgenſium in æde S. Johannis olim hi rhythmi fuere lecti.

Theodori: L Tal ſchar
M. IIII L. VI. Jahr
De olde Rath wedder qvam
Beter itd ward / als man vernahm.

Primus verſiculus indicio eſt, die Theodori reverſos eſſe Coſſ. ac Senatores. Qvid autem ſibi velit litera qvinqvagenarii nota nondum capio. Auctor Chronicæ Slavicæ: *Dux Bernhardus filius Friderici, naturalis eorum Dominus & communitas rem ſuſpectam habentes, novis proconſulibus & conſulibus ac ſexagintaviris repente a ſuis officiis deſtitutis, antiqvos proconſules & conſules ad priſtina loca conſularia de facto repoſuere, Apoſtolica mandata contraria minime curantes.*

LXXXII. Paulo poſt nova juramenti civilis formula ab urbium legatis conſcripta, a civibus recepta, ipſumqve juramentum fuit præſtitum.

Formula hæc eſt: Dat ick dem Rade un der Stadt will truw und hold weſen / öhr argeſt affthokehrende / und dat beſte tho wetende dohn / dat ick nehnen Uplop / Twidracht macken will tegen ſe / dat ick des ervare de Twidricht macken wolde / dat ick dat dem Rade will wittlick dohn / un vormelden. Dat mie GOtt ſo helpe / unde de Hilligen.

LXXXIII. Exin de cauſa Springintgudii diſceptatum, ac omnes qvi de captivitate ac cura ejus in carcere egerant, capti, ſed ſoluta pecunia a capitali ſupplicio liberati ſunt: ſecus ac ſperaverat Ditericus Springintgudius, qvi capite plectendos deſiderabat unice. Verum dum in portu ſe putant navigare, Alberti Marchionis Brandenburgenſis legati ex decreto Cæſaris denuo hanc rem urgent anno
CIↃCCCCLVII. ac tum non modo hi, qvos ſingulariter 1457
accuſaverat Ditericus, ſed & plures alii certam ſummam pecuniæ Cæſari, Senatui, hæredibus Springintgudianis ſolvere, ac inſuper ſolum patrium vertere compulſi ſunt: ex qvibus nonnulli ſubinde in gratiam recepti, aliqvi in exilio obierunt.

Alberti Brandenburgenſis legati erant Hartnidus a Stein, Cancellarius, & Wenceslaus Reinmannus, Canonicus Onoldinus. In exilio Vltzæ mortuus eſt Iohannes van der Mölen.

LXXXIV. Neqve ſic tamen Prælatorum aliqvi qvievere; imo novam bullam Papalem, ſed & mandatum Cæſareum Senatui adverſum nacti, denuo triumphare cœperunt. Et ſane qvia legatus Cæſareus Hartwicus Cappellus, a Prælatorum ac novi Senatus partibus ſtabat, & ab ejus reditu novo mandato proximum firmaretur, dici non poteſt, in qvantas anguſtias denuo conjiceretur dulciſſima patria.

1458 LXXXV. Acceſſit anno CIƆCCCCLVIII. novum inter Wilhelmum & Henricum Brunſwicenſes, itemqve Bernhardum Duces, ac Verdenſem Epiſcopum bellum: cui implicitus fuit Senatus populusqve Luneburgicus, hos Mæcenates ſuos pecunia ac milite iuvans. Et qvamvis Magnatum cauſæ componerentur, cum Luneburgo tamen nullam compoſitionem admittere volebant Wilhelmus & Henricus, excommunicatione Pontificia & proſcriptione Cæſarea nixi.

Habet aliqva de his motibus Krantzius *Saxon. lib. XI. cap. XXXVII.* Nos aliqvando rectiora dabimus. Ad hunc annum paucis tangendum eſt Iohannis Dalenburgii & Vlrici Schaperi capitale ſupplicium: id qvod variis delictis meruere.

LXXXVI. Proſcriptionem illam ſimplicem anno CIƆ-
1460 CCCCLX. excepit ſuprema: (die Oberacht) qvam tamen non multum opinor nocuiſſe urbi patriæ. Et jam Prælati diuturnas lites pertæſi, partim per ſe, partim per alios intercesſores ac inprimis Chriſtiernum Daniæ Regem cum Senatu in gratiam rediere.

LXXXVII. Qvod igitur jam lites cum plerisqve Prælatis eſſent ſopitæ, Fridericus qvoqve Cæſar proſcriptione ſublata, priſtina ſua gratia Luneburgenſes complexus eſt.

LXXXVIII. Turbavit tamen illud gaudium anno
1464 CIƆCCCCLXIV. Bernhardi Ducis obitus, qvi ducta uxore adminiſtrationi Epiſcopatus Hildeſienſis renunciaverat: id qvod Fridericum Patrem movit curas regiminis pridem depoſitas denuo recipere: utpote Ottone Bernhardi fratre nondum ex ephebis egreſſo.

1470 LXXXIX. Anno CIƆCCCCLXX. gravis tumultus Luneburgi cooriebatur adverſus Ottonem Ducem, in monaſterio S. Michaelis qvosdam Canonicos exauctorantem, novosqve in eorum locum ſurrogantem. Sed qvod Senatus

natus in tempore opem ferret Duci, motus illi conqvievere.

XC. Anno CIↃCCCCLXXI. Fridericus III. Imp. Senatui Luneburgensi singulare dedit privilegium de instituendo Collegio Iuridico, duobus vel tribus Doctoribus ornato, qvi jura civilia interpretarentur, disputationes haberent, Baccalaureos ac Doctores crearent, ac aliis omnibus actibus Facultati Iuridicæ in Academiis illustribus debitis defungerentur. 1471

Ipsius privilegii apographum in nostris est manibus, qvod & alibi integrum, nunc præcipua tantum ex eo afferemus. *Vestrorum meritorum impulsa, animo deliberato, de sano Principum, Comitum, Baronum, Nobilium & Procerum nostrorum & Imperii sacri fidelium dilectorum consilio, exacta scientia, & de Imperialis potestatis plenitudine concedimus, indulgemus, & clementer elargimur, qvod deinceps perpetuis futuris temporibus in præfato oppido Luneburgensi leges Imperiales, qvæ & jura civilia, publice legi, resumi & disputari, ac alii actus scolastici in eadem Facultate exerceri libere & licite possint & valeant per duos aut tres ejusdem Facultatis Doctores approbatos in loco decenti per vos ad id deputando, & ad instar generalium studiorum & Universitatum pariformiter & absqve ulla differentia. Ita tamen qvod eisdem Doctoribus per vos deputandis decens & competens fiat provisio. Et qvia Imperialis majestas benemeritos & qvos laboriosis studiis, acutis ingeniis & continuis vigiliis gloriosam palmam sapientiæ consecutos, dignos laudum testimonio comprobatos reperit, honorare, ad altum scientiarum gradum Doctoratus celeberrimam dignitatem promovere, cathedram ascendere consvevit & indulsit; ex similibus scientiæ & potestatis pleni-*

tudine

tudine Doctoribus, qvi pro tempore sic stipendiati ibidem erunt, legent, disputabunt, & alios actus scholasticos exercebunt, concedimus facultatem creandi & promovendi in Baccalaureos Doctoresve in legibus, qvos per diligentem examinationem repererint habiles, idoneos & sufficientes, benemeritos & approbatos: sicqve per eos creatis consveta Doctoratus insignia conferendi, ac eos Doctoralibus ornamentis insigniendi, nec non ipsis dandi & tribuendi licentiam & auctoritatem cathedram magistralem ascendendi, ac in ipsa legali facultate legendi, glosandi, interpretandi, disputandi, resumendi, & omnes alios actus Doctorales publice ubiqve per sacrum Romanum Imperium faciendi & exercendi. - - Dat. Ratisponæ die octava mensis Augusti.

1472 XCI. Anno CIↃCCCCLXXII. vita excesſit Johannes Verdenſis Epiſcopus, mirifice de patria noſtra meritus.

Vide Krantzium *Metropol. lib. XI. c. XXIX.*

1475 XCII. Anno CIↃCCCCLXXV. Senatus Luneburgenſis Friderico Imp. in Carolum Audacem Burgundiæ Ducem moventi ſuppetias miſit.

XCIII. Eodem anno cœperunt motus Blekedani anno demum hujus in qvo occupamur, ſæculi LXXXIII. compoſiti: in qvibus inprimis emicuit ſumma virtus Hartvici Schomakeri Senatoris, ab ipſo Johanne Brandenburgenſi Electore æſtimata.

Longior eſt harum turbarum hiſtoria, qvam qvæ his pagellis poſſit concludi. Hartw. Schomakerus vixit ad an. CIↃ IↃ XI.

1482 XCIV. Anno CIↃ CCCC LXXXII. a Diterico Brömſio & Henrico Töbingio ærarii præfectis, M. Henricus Fiſcherus magiſter ſcholæ ad S. Johannem receptus eſt, dimiſſo Hermanno Schwidenio.

Vt adeo hæc ſchola jam in Papatu floruerit. Origines ejus ad

ad monachos Vallis S. Mariæ referuntur: nisi forte schola illa monastica ab hac Johannea distingvenda est.

XCV. Anno CIↃCCCCLXXXIII. Johannes Elector Brandenburgensis Luneburgum in clientelam suam recepit. 1483

Testis est Johannes Cernitius in *Catalogo Electorum Brandenburgensium.*

XCVI. Anno CIↃCCCCLXXXVI. Luneburgensis Senatus Hildesiensibus cum Episcopo suo belligerantibus auxilia submisit per Hartwicum Schomakerum & Ditericum Wulschium Senatores. Qvo anno porta ad calcarium montem corruit, sed exstructa noviter Novæ nomen accepit. 1486

XCVII. Anno CIↃCCCCLXXXIX. rejectis monachis Gaudentibus, in monasterium S. Mariæ fratres de observantia admissi sunt. 1489

XCVIII. Anno CIↃ CCCCXCII. Patricii ædis S. Lamberti singularem habuerunt curam, inqve ejus usum magnam vim pecuniæ collegerunt. 1492

Nam singuli viginti marcas contribuerunt.

XCIX. Anno CIↃ CCCC XCVI. grandis illa turris formæ rotundæ pone molam senatoriam fuit constructa per ædiles Ditericum Wulschium, & Bartholomæum Wittigium. 1496

C. Anno CIↃIↃI. certi articuli sunt definiti de regimine Scholastico ad S. Johannem, in Logica, Grammatica, Rhetorica: de Prorectoratu, Succentore, Baccalaureis & Locatis. 1501

Id qvod me per literas docuit Cl. Reiskius, Scholæ Luneburgensis Senatoriæ ante annos aliqvot, nunc Wolferbytanæ Rector optime meritus, amicus meus singularis.

CI. Anno CIↃIↃII. Raimundus Cardinalis Luneburgi 1502

Dominica Palmarum in cœmeterio S. Johannis missam celebravit, adstantibus Michaelitano & Scharnbecensi Abbatibus, & palmas consecrantibus.

CII. Anno CIↃ IↃXI. Luneburgenses ex legibus Hansi-
1511 ci fœderis Lubecenses cum Rege Daniæ belligerantes juverunt.

CIII. Anno CIↃ IↃXVI. fusa est campana maxima in
1516 turri ædis Johanneæ.

Imagines & Inscriptiones hujus campanæ describit doctissimus civis noster Nicolaus Eggers Dissert. II. *de Campanis*: in qvo argumento ut porro, qvantum per sacras licet occupationes, elaboret, opto.

CIV. Litibus inter Henricum Ducem ac urbem Luneburgum per Johannem Elect. Brandenb. Soltwedelii anno CIↃ IↃXVII. compositis, anno proximo Dux Henricus cum
1517 Ottone, ac Ernesto filiis Luneburgum venit circa Qvadragesimam: a Senatu splendide exceptus.

CV. Anno CIↃ IↃXXVIII. Ernestus Dux Luneburgensis
1528 impium cultum Pontificium aboliturus, Abbatias ac Præposituras occupavit, & nonnullis Præfectos ex nobilitate dedit. Ceterum Abbas Scharnbecensis Henricus Radbrokius relicto monasterio Luneburgum concessit, ac ducta uxore in aula Scharnbecensi ibidem consenuit.

Lünensi monasterio Præfectus dabatur Johannes Haselhorstius; Scharnbecensi, Ditericus a Gilten; Medingensi, Thomas a Gerden; Ebbekstorpiensi Simon Reineccius. Radbrokii Abbatis matrimonium cum Hermanni Prallii filia in omnium hominum oculis mirabile visum, Schomakerus in *Annalibus Luneburgicis Mss.* annotavit. Meminit qvoqve hujus rei Auctor *Topographiæ Brunswico-Luneburgensis*. Mortuus est hic Abbas Luneburgi anno CIↃ IↃXXXVI.

CVI. Anno CIↃ IↃXXX. Luneburgi prima purioris do-
1530 ctrinæ semina spargi cœperunt in æde S. Nicolai per Frideri-

dericum Henningesium. Is fidum sacri laboris socium habuit Henricum Ottonem: qvibus brevi post accedebant Johannes Lampadius & Hartwicus Eichenbergius: qvos secuti sunt Gerhardus Herberdingus & Caspar Romshagius: Senatu primum ad hæc talia connivente.

Henningesius paulo ante Hamburgum deseruerat, qvod Papismo nollet renunciare: ac nunc (ecce divinam manum!) fit Evangelista Luneburgensium. Eucharistiam sub utraqve specie primum desiderantibus porrexit Dominica Invocavit, ac Psalmos Germanicos decantari fecit. Primos illos veritatis Evangelicæ præcones laudat atavus meus maternus Lucas Lossius in carmine qvod M. Henningesii Epitaphio subjecit.

CVII. Quod in templo S. Nicolai cœptum, mox in æde S. Jahannis ac S. Lamberti continuatum fuit, abrogatis missis, aliisqve pravis ceremoniis.

In æde Johannea in festo Ascensionis Domini primum pure cœpit doceri Evangelica veritas.

CVIII. Hinc Senatus civium precibus, ut liberum sibi permitteretur Evangelicæ religionis exercitium, victus, Hamburgo evocavit M. Stephanum Kempium: qvi a Senatu Hamburgensi ad tempus dimissus, Luneburgenses doctores juvit, ac deinde ad suos rediit.

Provocabant cives ad Lubecensium ac Hamburgensium exemplum, ubi jam instituta erat doctrinæ ac ceremoniarum reformatio. De Kempio sic canit noster Lossius:

Kempius Hamburgo Stephanus post missus ab Vrbe,
Hos vineam juvit Domini plantare fidelis,
Post rediit patriam non multo tempore ad Vrbem.

CIX. In Senatu sanctum hoc institutum mascule promovit Hieronymus Witzendorpius, Iohannis filius, Vir ipetate, doctrina ac sapientia longe præstantissimus, ac vel eo nomine de patria infinitis modis meritus.

Qvem propterea etiam celebrat David Chytræus *Saxoniæ lib. XIII.* Iohannes Frederus Pomeranus eidem inscripsit Vrba-

ni *Doctrinam & Consolationem contra Desperationem propter peccata*, ex Germanico a se Latine versa. In illa inscriptione & hæc legas: *Celebrari ad omnem posteritatem dignissimus es. tum ob excellentem pietatem, egregiam sapientiam, aliasqve maximas virtutes tuas. Cum ob multos labores non tantum pro Rep. sed Ecclesia etiam & Schola susceptos. Qvam te mirificum Scholæ patronum, qvam fidum ac diligentem Ecclesiæ nutricium præstiteris semper, non ab uno intellexi. Et vel hoc uno nomine dignus es immortali laude. Ob has ac reliqvas tuas virtutes maximas, dignus es, cujus memoria in Ecclesia perpetuo extet.* Vitam cum morte commutavit anno CIↃIↃLVI. relictis filiis se ac gente Witzendorpiana dignis.

CX. Neqve tamen tanta res difficultate caruit, tumultuantibus inprimis ad S. Mariam monachis, & Senatui populoqve reclamantibus: ut adeo cum qviescere non possent, ex urbe dimitterentur.

Sed lecti sunt ex civibus primariis, qvi cum delegatis Senatus Iohanne Brandes & Hartwico Schomanero monasterium ingressi, bona ejus & clinodia consignarunt, ac porro ædem sacram obserarunt. Hinc itum est ad monasterium Vallis S. Mariæ (Hilligen Dal) cujus sodales utpote alieno ære pressi, omnia bona sua Senatui sponte resignarunt, accepta pensione annua, & habitatione libera. Interea Gvardianus monasterii ad S. Mariam obstinabat animum, nulloqve modo concedere volebat Senatui Evangelii prædicationem in ædem illam introducturo. Cum igitur parum abesset a seditione, ac cives impetuosius flagitarent refractariorum exilium, curribus monachi sunt impositi, & extra urbem deducti, manentibus civium filiis ac ægrotis: qvos Gvardianus itineris volebat comites.

CXI. Cum Abbate Bolduino Marenholtio & Canonicis ad S. Michaelem actum placide: sed cum refragarentur, ædes sacra die S. Oswaldi clausa, at mox reclusa fuit: civibus tamen interdictum, ne pompæ missaticæ
1531 interessent. Nec multo post (annus erat CIↃIↃXXXI.)

Abbas

Abbas obiit, ac ſucceſſorem accepit Herbordum ab Hol-
le, Priorem monaſterii.

Marentholtii Abbatis epitaphium habetur in Loſſii *Lunæburga.*

CXII. Anno CIↃIↃXXXII. Erneſtus Dux Senatui Luneburgenſi ad certum tempus permiſit inſignem Theologum, Vrbanum Regium, qvi abrogationem totius Papiſmi tum in curia, tum in æde S. Iohannis cum Pontificiis diſputaturus, urſit, ac obtinuit, & Antagoniſtas ſcriptis confutavit.

Meretur & hiſtoria horum temporum, & Regii memoria, qvi de his rebus explicatius agamus. Anno CIↃIↃXXX. Erneſtus Dux ex Auguſtanis comitiis redux D. Vrbanum Regium ſecum adduxerat, Virum impenſe doctum, raraqve probitate conſpicuum: qvem tanti fecit Dux laudatus, ut cum in Nobilium conſeſſu interrogaretur, numqvid novæ rei pretioſæve mercis, reliqvorum Principum exemplo ex comitiis apportaſſet? allatum a ſe theſaurum reſponderit, toti Ducatui incomparabilem: Virum utpote magnæ doctrinæ atqve integritatis, qvem omnibus omnium Principum anteponeret delitiis. Cumqve Auguſta urbs, miſſa legatione, Vrbanum repeteret, Erneſtus reſpondiſſe fertur: pari ſe amore & oculos, & Vrbanum æſtimare, & utrius abſentiam ſit moderatius laturus, parum proſpicere. Hunc igitur virum Erneſtus Dux Eccleſiis totius Ducatus præfecit: qvi & eo munere perfunctus egregie, corruptelas prorſus exſtirpavit atqve ſuſtulit. Neqve tamen Senatui Luneburgenſi, Vrbani præſentiam per legatos *probatiſſimos & Evangelii ſtudio fervidos* (qvæ ipſa ſunt Vrbani verba, in Epiſtola ad Miniſtros Eccleſiam Luneburgenſem moderantes, qva ſe brevi venturum pollicetur) humillime efflagitanti eundem negavit. Hinc anno CIↃIↃCXXXII. Luneburgum veniens, ac Henrici Witzendorpii, Hieronymi fratris hoſpitio fere uſus (non ſemper, ut puto: nam ex *palatio Principis* ſcripſerat aliqvot epiſtolas, ac teſtatur porro, Ducem Erneſtum *& ſumtus & domum* ſibi obtuliſſe) ſacra in ordinem cœpit redigere. Verum

qvod adhuc in qvibusdam templis, Michaelitano præsertim, celebrarentur missæ, ac plurimi civium plenam sacrorum Pontificiorum abrogationem paulo insolentius urgerent, non multum aberat, qvin res in tumultum erumperet. Congregabantur autem cives in æde S. Mariæ, eoqve ad se vocato Regio, cum eodem agebant, ne qvis amplius Missæ interesset, neve qvis ex Pontificiis inveheretur in doctrinas Evangelicas, earumqve præcones: qvi secus faceret, a Senatu pelleretur urbe. Qvia autem Regius nomine civium, qvi fratres se vocabant, ad Senatum verba facere paratus erat, id animum addidit civibus. Senatus qvidem in alium diem hæc differri volebat, qvod aliqvi abessent Senatorum: sed civibus instantibus, auditus est Regius, qvi citationem omnium Pontificiorum, eorumqve, ni parerent, dimissionem ursit. Senatui id paulo acerbius visum, ac idcirco mitiora proponere. Dum tempus extrahitur in consilio Senatus, Vrbanus Regius domum concedit, ad sumendum prandium, civibus in curia manentibus, & nunc absente viro, cujus nota est moderatio, tumultuosius agentibus. Res in seqventem diem dilata, ac qvando iterum ferocirent cives, Senatus eos pro virili demulsit, ac interea cum Regio privatim hac de re communicavit. Quamobrem omisso illo de pellendis urbe Pontificiis consilio, res ad disputationem Vrbani cum adversariis devenit. Nimirum pegmate in æde S. Iohannis ante summum altare erecto, altera feriarum Matthæi diem seqvente, Vrbanus cum aliqvot collegis verbi divini ministris in eo consedit: datiqve a Senatu assessores, Stephanus Gericke Syndicus, Crabatus Medicinæ Doctor, Ludolphus Stöteroggius, Hieronymus Witzendorpius, Ludolphus Semmelbeccerus, & Iohannes Hackerus Senatores, itemqve M. Georgius Tilitzius Protonotarius. Sed ex Pontificiis pauci comparuere, pauciores ausi sunt cum Vrbano congredi. M. Henricus Lampius qvidem aliqvas in medium attulit qvæstiunculas: sed illas facile solvit Regius, qvi per bonam diei partem pro veritate Evangelica graviter disseruit. Post aliqvod temporis intervallum Augustinus Gotelen-Sacerdos Pontificius (ita habet Hermannus Hamelmannus in historia Reformationis Luneburgicæ) jussus est discedere Lunebur-

neburgo, nisi recipere vellet doctrinam Evangelii. Is abiens vehementer accusavit Regium, tanqvam exilii sui auctorem. Cum vero Augustinus ille ad qvosdam dixisset, se disputare posse cum Vrbano, hic amice eum evocavit, salvum conductum & sumtus tum ab Ernesto Duce, tum a Senatu promittens. At is amicam collationem recusans, ad Cæsarem provocavit. Tandem libellum pro qvodam Pontificiæ religionis articulo conscriptum cum epistola ad Vrbanum misit per Præpositum Colerum. Huic confestim respondit Regius longiori epistola Luneburgi XI. Iunii perscripta, qvæ habetur parte III. Operum. Sed qvia in ipsa hac epistola scribit Vrbanus, Gotelium ante qvam ipse Luneburgum veniret, Evangelium prædicasse, & *in verbo Domini serviisse* (usurpo phrasin Regii) aut fallitur Hamelmannus, aut ad vomitum is reversus est. Id certum, qvando hæc ad eum scriberet Vrbanus, hominem fuisse Pontificium: nec *fratris* tamen nomine pro urbanitate sua indignum censuit Regius: qvi tandem epistolam sic claudit: *In fine addis*: Veritas relegari potest, vinci non potest. *Qvæso frater, si hæc meæ doctrinæ, qvam prædico, nunc impingis, qvasi tui exilii causa sit, eoqve eam judicas falsam, & te per omnia veritatem habere, nos errores, non detrecta mecum congressum & collationem æqvissimis conditionibus oblatam. Vbiqve videris vel alienam culpam mihi occinere, vel tacite meam doctrinam perstringere. Age, experire hoc cominus, præsto sum.* Et ad Gerhardum Herberdingium, ministrum Christi in Evangelio Luneburgi in Ecclesia D. Nicolai, ita scribit: *Literas Augustini Gotelen misisti, legi. Luneburgum venire recusat, qvod parum tutus sit eo loci, ob qvorundam iras. Ad Cæsarem provocat. mihi vero illa excusatio non placet. Promiseram securitatem & sumptus. Et ubi magis conveniebat amica collatione tractare pietatis negocium, qvam in ea urbe, ubi docuimus ambo? Qvare me ad Cæsarem mittat, forte non est obscurum. Qvis enim in aula Cæsaris est, qvi non cupiat me extinctum? Ego nihil tale optabam Augustino, sed obtenta & a Senatu & populo plena securitate, volebam cum homine de controversis nostræ religionis dogmatibus citra iram & turbationem ullam animi, tantum veritatis manifestandæ studio colloqvi.* Scripsit
etiam

etiam Regius postea contra *Vespertilionem qvendam*, uti vocat, conantem unam speciem Eucharistiæ tueri, XXXIII. propositionibus Luneburgi in templo D. Johannis clanculum affixis. Regii scriptum itidem exstat *parte III. Operum Latinorum.* Fama fuit, Gotelium qvoqve libelli clancularii auctorem haberi: qvod Regio non fit verosimile. Ex præfatione ad Ministros Ecclesiæ Luneburgensis scripta apparet, anno CIↃ IↃ XXXIV. non parum multos Papistas Luneburgi delituisse. Præterea cum ipso Præposito Luneburgensi Johanne Colero de missa Papistica per epistolas decertavit: qvæ una cum aliis titulo *Mortis & sepulturæ missæ Papisticæ*, in operibus Vrbani comparent. Colerum Vrbanus vocat, *virum eximium, hominem doctum, & Archidiaconum, penes qvem hactenus rerum Ecclesiasticarum potestas fuerit Luneburgi.* Et re vera doctus & modestus vir fuit. Ex epistola ejus afferam nonnulla, lectori (ceu spero) non ingrata. *Hactenus annis triginta plus minus in hujus Luneburgensis rei negocio terra mariqve exercitus, atqve adeo, valetudine parum prospera accedente, corporis & animæ viribus ferme destitutus, æqvo animo feret tuæ Dominationis candor, si meæ imbecillitatis mihi probe conscius, hujus fabulæ spectator potius, qvam actor esse malim, & intra mea pomeria placidum nulliqve molestum me cohibere. Et qvid demum columba in iis rebus difficillimis unctione sua doctura persvasuraqve sit, avide expectare malim. Certus veram & unicam in Deum fidem, & qvæ eo pertinent, haudqvaqvam humanis viribus, sed Dei favore gratuito contingere. Qvæ verbo qvidem externo proponi, intus vero efficaciter & salubriter absqve spiritus unctione accipi neqvaqvam possit: hinc sciens volensqve non refragabor, & pariter omnem salutis æternæ spem, mihi (uti spero libro vitæ ascripto) per Christum & ejus favorem passionisqve meritum, integram, certamqve & solidam fore, sedulo confidam. Eundem qvoqve (qva est in humanam miseriam bonitate) oviculam suo sangvine pretiosissimo redemptam, si qvando pertinaciter non aberrat, demum non deserturum, sed in suam caulam benignissime reducturum. - - Ex casula nostra* XXVII. *Maji Anno* CIↃ IↃ XXXI. An cesserit ædibus Præposituræ Colerus, nondum habeo affirmare. Anno CIↃ IↃ XXXIII.

I. die Octobris, ac iterum anno CIↃ IↃ XXXIII. VII. die Januarii ex Præpositura Divi Johannis scripsit Regius: sed eodem anno feria VI. post Fabiani, *Præposituram* vocat, *non suam. Vale*, scribit ad Fridericum Henninges, *ex Præpositura non mea*. Obiit Colerus anno CIↃ IↃ XXXVI. ac Senatui legavit insignem scyphum argenteum inauratum, variis numis distinctum, addita hac Epigraphe: Bey der Müntze soll man lehren / wie sich die Welt thut verkehren. Imago ejus spectabilis est in æde B. Virginis, cum eleganti carmine, quod in Luneburga sua repetit Lossius. In operibus Regii Germanicis Tomo III. habetur *Consilium* Senatui Luneburgensi inscriptum: *Qvos in usus bona Ecclesiastica sint convertenda: & an Abbas ac Canonici ad S. Michaelem, si Christianam Reformationem sint admissuri, bonis ut cedant necessum sit:* id qvod negat Vrbanus.

CXIII. Sic igitur per divinam gratiam, ac sedulam Vrbani opem, Ecclesia Luneburgensis tranqvillitatem exoptatam obtinuit. Ac meretur utiqve tantus vir principem inter Superintendentes Luneburgenses locum: qvem postea, ad præsens usqve ævum, viri pietate, doctrina ac prudentia conspicui ornarunt.

Certe pro primo Superintendente Vrbanum nostrum habet Lossius, his versibus:

Rhegius Vrbanus docta pietate celebris
Hac Superintendens primus fuit urbe verendus.

Fuerunt autem Superintendentes Luneburgenses hi: M. Paulus Rhodius, Christophorus Hegendorfinus, M. Fridericus Henninges, M. Johannes Eichenbergius, M. Caspar Gödemannus, Petrus Ebelingius, Sigismundus Scherertzius, D. Petrus Rehebinderus, Caspar Hermannus Sandhagen: de qvorum meritis, ut & de nonnullorum scriptis, alibi erit disserendi locus. Vrbanus Regius anno CIↃ IↃ XLI. vita functus est. Egregia ex ejus scriptis documenta collegit Theologus summus, Elias Vejelius, Vlmæ decus.

CXIV. Regio adhuc dum Luneburgi agente, in ordinem redacta fuit Schola ad S. Johannem Senatoria, cujus primus a tempore Reformationis Rector fuit M. Her-

mannus Tulichius Steinheimensis, Prorector ex Papatu superstes Henninges Blocius.

Tulichium secuti sunt M. Johannes Bathelius, M. Albertus Lenicerus, M. Henricus Betulejus, M. Georgius Bachmannus, Paulus Blocius, M. Andreas Reiherus, M. Caspar Sagittarius, dulcissimus Pater meus, M. Nicolaus Zimmermannus, Johannes Georgius Kettenbeil, M. Johannes Reiskius, M. Christophorus Henricus Lauterbach. Inter Prorectores celebre qvondam nomen habuit Lucas Lossius, atavus meus maternus.

1533 CXV. Anno CIↃ IↃ XXXIII. Luneburgum sex numeravit Consules, Hartwicum Stoteroggium, Ludolphum Dassellium, Leonhardum Tobingium, Hartwicum Schomakerum, Hieronymum Witzendorpium, & Henricum Garlopium.

Nempe posteriores duo prioribus senio confectis adjutores dati sunt.

CXVI. Gravis hoc tempore controversia inter Ernestum Ducem, ac Senatum Luneburgensem de jure patronatus monasterii ad S. Michalem agitabatur: qvam Henricus Dux Meklenburgensis modis omnibus studuit componere. Et vero sic tandem est transacta, ut Abbas & Collegæ monasterii Evangelium amplexi scholam in cœnobio conderent, ac vicissim bonis suis & reditibus pristinis fruerentur.

Adi Chytræum *Saxoniæ lib. XIII.* qvem exscribit Dresserus in *de Germaniæ Vrbibus*. Meibomius in Appendice Historiæ Bardewici: *Reformatum est collegium ab Antistite ejus loci Herbordo ab Holle, Johannis F. eqvite Saxonico, sinceram Evangelii doctrinam amplexo, qvi pastorem recte docentem & scholam ad S. Michaelem instituit, libros rrituales ad normam verbi divini emendavit anno M. D. XXXIV.*

CXVII. Anno CIↃ IↃ XXXIV. magnum illud & rotun-
1534 dum propugnaculum portui Elmenoviæ vicinum exstrui

cœpit,

cœpit, elapſo biennio abſolutum: ac tum grandis iſta turris, forte fortuna pyrii pulveris vi funditus disjecta magnam urbi cladem attulit.

Iſtud infortunii natum ex pulvere pyrio ad ſolem ſiccato, qvi ignem concepit. Tormenta in turri diſpoſita in ſublime ferebantur, ac cum ingenti impetu procidebant. Horum aliqva periere.

CXIIX. Peſtilens qvi graſſabatur morbus anno CIↃ IↃ XL. Superintendentem, qvinqve Senatores, & Rectorem Scholæ Johannitanæ ſuſtulit. 1540

Chriſtophorum ſcilicet Hegendorfinum, Ludolphum Stöterogium, Brandanum Zarſtedium, Johannem Brandes, Henricum Wittigium, Henricum Grönhagium, & Hermannum Tulichium.

CXIX. Fervente anno CIↃ IↃ XLII. Johannis Friderici Saxoniæ Electoris & Philippi Haſſiæ Landgravii adverſus Henricum Ducem Brunſwicenſem bello, Luneburgenſes militem ſcripſere, acceptis qvoqve Lubeca & Hamburgo auxiliis. 1542

CXX. Anno CIↃ IↃ XLIII. Sibylla, Franciſci Saxoniæ Ducis conjux in Ducali domo enixa eſt filiolam, qvam Fridericus Henninges Superintendens in templo S. Johannis baptizavit. 1543

Parienti adfuit mater Catharina, Henrici Saxoniæ Ducis vidua, qvæ gravidam filiam Luneburgum evocavit. Inter ſuſceptores nomine Senatus fuere, Hartwicus Schomakerus & Hartwicus Garlopius Coss.

CXXI. Anno CIↃ IↃ XLVII. Senatus Luneburgenſis ad Carolum V. Cæſarem, Electoris Saxonis victorem Hallis agentem legatum miſit Nicolaum Stöteroggium. 1547

CXXII. Anno CIↃ IↃ LII. domus miſericordiæ im Gral dicta, magnam partem ſubſedit ac corruit. 15 52

Domum illam olim condere cœpit Conradus Langius,

 per-

perfecit Henricus Grönhagius. An a puerorum incondito clamore nomen habeat (id qvod opinatur Lossius) aliis dispiciendum relinqvo. Mihi nondum liqvet.

1553 CXXIII. Anno CIↃ IↃ LIII. novum organum musicum in æde S. Johannis per Batavum artificem fuit constructum.

Primus organœdus fuit Michael Neddorstedius, alter Jodocus Funccius. Hodie hanc spartam magna sui cum gloria ornat Christianus Flor, qvem honoris causa nomino.

1554 CXXIV. Anno CIↃ IↃ LV. Herbordo Abbati S. Michaelis demortuo successit patruelis Eberhardus ab Holle, qvi postea Verdensis & Lubecensis Episcopus fuit factus. Atqve hoc demum anno monasterium S. Mariæ a triga, qvæ supererat monachorum Senatui fuit redditum, qvi templum, sacris Evangelicis, cœnaculum superius, Bibliothecæ publicæ, inferiora potissimum viduis ministrorum Ecclesiæ dedicavit.

Monachi duo cum possent in urbe habitare, tertii (is erat Johannes Nienburgius) instinctu Halberstadium concessere: qvorsum Senatus pactam illis pecuniam qvotannis transmisit. Bibliotheca ista non vulgaris est, certe egregiis Mss. abundat, qvorum catalogus ut cum erudito orbe communicaretur, dignus esset. Multum olim in hac Bibliotheca ordinanda desudavit B. Parens meus.

1562 CXXV. Anno CIↃ IↃ LXII. inter Henricum & Wilhelmum fratres Duces Brunswico-Luneburgenses, Ernesti filios, & Luneburgum pax & concordia fuit restituta.

Exstat Lucæ Lossii Poema, quod inscribitur: *Narratio de solenni Pacificationis inter Illustriss. Principes D. Henricum & D. Gvilielmum Duces Luneburgenses, & inclytam civitatem Luneburgam initæ, confirmatione, facta anno* CIↃ IↃ LXII. XIX. *Augusti.*

1569 CXXVI. Anno CIↃ IↃ LXIX. mense Julio novus repertus est modus aqvam salsuginosam ex puteo hauriendi.

Ipsa annalium verba repeto: Den XI. Julii ist die neue Zucke auff

auff die Sultze gesetzet / damit nun die Sale aus dem grossen Sode gezucket wird / die man zuvor mit einem grossen Eimer herauß zu ziehen pflag.

CXXVII. Anno CIↃ IↃ LXXVIII. cum ob pestem hic grassantem Academia Salfeldium transferretur, sex cives Studiosi Luneburgenses eo qvoqve concessere, Casparis Boneri convictu usi. Ex his ibidem diem obiit, ac in æde oppidana sepultus est Ludolphus a Dassel, Ludolphi Cos. Luneburgensis filius. 1578.

Hac de re brevi plura dicemus in *Historia Salfeldensi*: qvæ nuper ex magno variorum Mss. thesauro non contemnendam accepit accessionem.

CXXIIX. Anno CIↃ IↃ LXXIX. Formulæ Concordiæ subscripserunt Ecclesiæ Scholarumqve ministri. 1579.

Horum nomina repeto: M. Caspar Goedeman Sup. Nicolaus Fabri Senior, M. Fridericus Dedekindus, Hermannus Wasmann, M. Hieronymus Henninges, M. Hieronymus Herberdingk, Johannes Boltzemius, Johannes Danckwerts, M. Georgius Starcke, Jodocus Matthias, Paulus Calenius, Hieronymus Rhudenus, Stephanus Schusen, M. Albertus Lenicerus, Lucas Lossius Senior, Christophorus Prætorius, Caspar Culemannus, Petrus Gerstenkorn, Daniel Itznich, Johannes Ottho, Christianus Prætorius.

CXXIX. Anno CIↃ IↃ LXXXVI. mense Iulio Luneburgi convenere Fridericus II. Daniæ Rex, Christianus I. Saxoniæ, Johannes Georgius Brandenburgicus Electores, Joachimus Fridericus Archiepiscopatus Magdeburgensis Administrator, Philippus Dux Brunswico-Luneburgensis, Johannes Dux Holsatiæ, aliiqve Principes. In hoc conventu Regis Navarræ legatus auxilia petiit contra Regem Galliæ, & confœderatos Pontificios. 1586.

Adi Chytræum *Saxoniæ lib. XXVII.* ex qvo qvædam mutuatur Dresserus.

CXXX. Eberhardo Abbati Michaelitano die v. Julii demortuo successor dabatur Conradus a Bothmar.

1587 CXXXI. Anno CIↃ IↃ LXXXVII. turri S. Nicolai novum ac elegans fastigium fuit impositum.

1590 CXXXII. Anno CIↃ IↃ XC. ebrii coctores in Sulcia Luneburgensi gravem excitabant tumultum: qvi tamen exhausta, in qvo occupabantur, cerevisia, resedit.

1593 CXXXIII. Anno CIↃ IↃ XCIII. permittente Senatu nobile institutum fuit exercitium, civibus ex tormentis colubrinis ad certum scopum globos emittentibus; id qvod factum per duas hebdomadas. Præcipuum præmium nactus est Conradus Meierus.

1595 CXXXIV. Anno CIↃ IↃ XCV. inter viduam Wilhelmi Ducis Dorotheam Danicam, & Senatum Luneburgensem difficilis orta contentio de venandi jure.

1598 CXXXV. Anno CIↃ IↃ XCVIII. die XVI. Septembris obiit Joachimus Wahlius, J. V. D. Cæs. Maj. Consiliarius, & Syndicus Luneburgensis.

Vide Hardewigi Dasselii Ic. *Carminum lib. III. pag. 83.*

1605 CXXXVI. Annis CIↃ IↃ CV. & VI. Brunswicensibus ab
1606 Henrico Julio obsessis suppetias tulere Luneburgenses.

Vide Actorum Brunswicensium *Tomum III.*

1608 CXXXVII. Anno CIↃ IↃ CVIII. murus superior calcifer-
1609 rum montem cingens dissiliit: annoqve proximo mœnia pone Sulciam concidere.

1611 CXXXVIII. Anno CIↃ IↃ CXI. ædes S. Mariæ, qvæ diu jacuit deserta, reparari cœpit.

Aliqvoties ista fecit vitium ob salsuginosæ aqvæ ductus subtus meantes: id quod ante paucos annos iterum contigit. Ante Reformationis tempora longe fuit spatiosior, ac pars illa, ubi conspiciebatur turricula, gremium fere occupavit.

CXXXIX.

CXXXIX. Anno CIϽ IϽ CXVII. XVII. Augusti Conradus a Bothmar, Abbas ad S. Michaelem obiit. 1617

CXL. Qvæ non ita pridem inter Senatum ac populum, potisſimum de tributis nata controverſia anno CIϽ IϽ 1619
CXIX. Cellis feliciter fuit compoſita.

CXLI. Anno CIϽ IϽ CXXIV. Ferdinandus II. Imp. privi- 1624
legia Luneburgenſium confirmavit. Eodem anno Sulcia detrimentum cepit ex undis piſcinæ proximæ (der Karuſchen Dick vocatur) ſalſuginoſis aqvæductibus ſe inſinuantibus. At detecto fonte, malo itum fuit obviam.

CXLII. Anno CIϽ IϽ CXXXVI. Svecis ex improviſo urbem 1636
aggredientibus tandem fuit dedita. Præſidiariis præerat Stammerus, a qvo nomen habet pons pone molendina Senatoria. Sed anno ſeqvente Georgius Dux, occupata urbe, Stammerum compulit montem calciferum dedere: id qvod hic capite apud Svecos luit.

CXLIII. Anno CIϽ IϽ CXXXIX. externa regiminis Lune- 1639
burgenſis forma non parum fuit immutata, ac inter alia a Ducibus definitum, ut pari numero Patricii ac cives reliqvi in Senatum cooptarentur.

Conſules tum erant Ludolphus a Lafferdes (eodem anno mortuus) Franciſcus Witzendorpius, Ludolphus Ditmers, Thomas Tobingius: Syndicus, Tobias Heinking: Senatores, Chriſtophorus & Johannes Tobingii, Statius Fridericus Witzendorpius, Georgius Gretze, Nicolaus Düſterhopius, Joachimus Böttícherus, Johannes Elverus, Georgius Stöteroggius, Chriſtianus Büſchius, Joachimus Reuterus, Franciſcus Schnitkerus, Johannes Oudorpius.

CXLIV. Anno CIϽ IϽ CXLI. Sigismundo Schererzio 1641
Superintendenti ſucceſſit D. Petrus Rehebinderus Lubecenſis.

CXLV. Anno CIϽ IϽ CXLVIII. novus pons ad portam ve- 1648
terem (Oldebrügger Dor) conſtructus.

Id.

Id quod indicat seqvens elegia ipsi ponti inscripta:

Si qværis, qvo pons hic sit constructus in anno;
Quo data sum sacro, Pax ait, Imperio.

1650 CXLVI. Anno L. Christiano Ludovico Duci homagium
1651 præstitere Senatus populusqve Luneburgensis. Anno seqventi mœnia urbem a monte calcifero distingventia cum turribus Springintgudiana aliisqve fuere diruta, ac dictus mons firmius muniri cœpit. Qvæ tum agitabantur controversiæ mense Octobri sunt compositæ.

1654 CXLVII. Anno CIↃ IↃCLIV apex turris Michaelitanæ anno XLVIII. turbine venti decussus, Nonis Maji restitutus est.

Inscriptionem elegantem globo supremo inclusam alibi afferemus.

CXLVIII. Eodem anno obiit ultimus Abbas Luneburgensis Christophorus a Barleben. Designatus successor Statius Fridericus Post, a Christiano Ludovico Duce nova dignitate alia ornatus; loco monasterii schola equestris, quæ paulo post in illustre Gymnasium conversa, instituta est. Postius anno CIↃ IↃCLXXI. obiit. Ei successit Dominus Ludolphus Otto ab Estorp, splendidum decus Nobilitatis Luneburgicæ.

Primi hujus Gymnasii Professores fuere Ioachimus Hecht, SS. Theol. Lic. Pastor ad S. Mich. Daniel Clasenius D. Iur. P. & Philos. Pract. P. Hermannus Nottelmann, P. Log. & Nobil. Alumn. Insp. Iohannes Buno, Histor. & Geogr. P. Rector Scholæ ad S. Mich. Iohannes Iustus Oldecop, Philol. P. & Minist. ad S. Mich. Adj. Martinus Dithmarus, Mathes. P. extraord. Christianus Grave, L. Gall. P. extraord.

1659 CXLIX. Anno CIↃ IↃCLIX. mense Iulio, novus impostor magis, quam Propheta Luneburgi virus suum dispersurus civitate exesse jussus, disparuit. Exeunte anno Iudæus a Patre meo baptizatus est.

Histo-

Historia hujus baptismi typis est exscripta.

CL. Anno CIƆ IƆC LXI. grave incendium in Sulcia exortum domunculas quatuor consumsit, ac proximas non parum afflixit. 1661

CLI. Anno CIƆ IƆC LXIII. Christianus, Friderici III. Daniæ Regis primogenitus pernoctavit Luneburgi. Octobri mense cœpit grassari pestis: quæ tamen brevi desiit. 1663

CLII. Anno CIƆ IƆC LXV. motibus illis a morte Christiani Ludovici Ducis obortis patria quoque mea fuit involuta: sed facta per maximos arbitros pace, Patrem patriæ accepimus GEORGIVM WILHELMVM, Ducem tot illustribus tropæis ac triumphis inclytum: quem Deus O.M. servet! 1665

CLIII. Anno CIƆ IƆC LXVII. exeunte Majo, Princeps Hasso-Cassellana, ad Christianum sponsum in Daniam itura in tertium diem mansit Luneburgi. Mense Octobri ERNESTI AVGVSTI conjux cum incluta prole, post etiam maritus, una cum Georgio Wilhelmo Duce, venerunt Luneburgum, ac per aliquot menses ibidem commorati sunt: quod & fecerunt a mense Novembri sequente anno. 1667

CLIV. Eodem anno CIƆ IƆC LXVII. placide obiit optimus pater meus M. Caspar Sagittarius, ædis S. Iohannis Pastor bene meritus, in laudatæ ædis sacrario sepultus.

Quis vitio mihi vertet, summarium vitæ paternæ hoc loco afferre? Natus est anno 1597. Osterburgi in Marchia, patre Thoma, cive Bernoviano, Scholæ primum Spandaviensis Prorectore, post Stendaliensi Diacono, ac demum Pastore Osterburgensi, anno 1607. demortuo: matre Margareta Franckia, Pastoris cœnobii & suburbii Arendseæ filia, quæ tertia Thomæ Sagittarii uxor fuit. Anno 1606. a fratre Thoma, Viro clarissimo, Professore Ienensi summe merito huc abductus, ac per

quadriennium publica Senatoriæ scholæ & domesticorum præceptorum disciplina excultus, anno 1610. Stendaliam ad materteram Emerentiam Franckiam, sed mox ob pestem Stendaliæ grassantem Osterburgum ad vitricum remissus est. Anno 1612. in Soltwedelianam scholam concedens, brevi post Stendaliam revocabatur, peramanter exceptus a Iohanne Martini & Erasmo Franckio cognatis, sed & ob probitatem & industriam a Theodorico Ermlero Rectore, non incelebri Philosopho, æstimatus. Anno 1616. svasor ipsi erat frater Thomas, ut Luneburgum proficisceretur: *inventurus ibidem* (ipsa verba epistolæ repeto) *Rectorem Paulum Blocium, virum in Græcis & Poësi exercitatissimum: quo ego olim Garlebiæ Conrectore usus sum; neque dum pœnituit. Illi literis te commendabo meis. Experieris hominem mihi & amicissimum, & qui mei causa nihil non officii & beneficii tibi praestiturus est.* Ac memini B. Parentem dolere aliquoties, quod hoc consilium non fuisset secutus. Mansit igitur Stendaliæ ad annum 1618. quo Ermleriano stipatus testimonio, Vratislaviam ad fratrem Thomam perrexit: qui Ratichianæ methodo infensus, ac ob id acerba quædam passus, Spartam Academicam cum Gymnastica, illustri tamen, commutaverat. Anno 1620. Pater Vratislaviæ per omnem vitam magnopere a se æstimatæ valedicens, mense Majo in Wittebergensem se contulit Academiam, summe tum temporis florentem, D. Balthasari Meisnero a fratre commendatus. Parce ibidem primo ac duriter vixit: liberalitate tamen fraterna interdum recreatus, qui ad eum Octobri mense sic scripsit: *Sepone istud balneum Diaboli, quod est caput melancholicum, & disce Deo confidere.* **Ich bin auch wol in grösserm Elend gewesen.** Et in aliis literis: **Sey getrost / ich habe mich wol anders nach der Decke strecken müssen / welches man mir doch itzo nicht ansiehet.** Anno 1621. fratrem illum celeberrimum amisit: non profecto (nam improba hæc est calumnia, nuper ab imprudente, nescio an & impudente scriptorculo recocta) morte violenta: sed placida, sed quieta: id quod & carmina funebria Georgii Baumanni typis expressa, & sepulcrum Vratislaviense, & tot alia documenta testantur. Eodem anno Parens meus Ienam revisit, ab Erasmo Schmidio, nobili

bili Professore Wittebergensi de meliori nota commendatus Henrico Hoffmanno, Mathematico nostrati. Anno 1622. aliquot B. Fratris libros, nomine hæredum ejus, edidit, ac præside Theophilo Ænetio, Physices Prof. ipso Rectore Mühlphortio præsente, *de Metallis* disputavit. Mense Iulio summis in Philosophia honoribus a Decano Salomone Glassio, Viro summo, ornatus, mox in habendis privatis diatribis diligenter, & cum applausu elaboravit, *Philosophiam* etiam Meisneri *sobriam* publicis disputationibus excutiens. Anno 1623. fidei ejus credebatur iuvenis Stendaliensis, domi nobilis, Erasmus Möringius: quem tamen per illorum temporum difficultatem magis interdum pecunia, sed sancte demum reddita, juvit, quam quod pactam in tempore acceperit. Anno 1624. præside D. Iohanne Gerhardo, Theologo incomparabili, contra Weigelianos disputavit. Anno sequenti post habitam *de physica panis Eucharistici veritate* disputationem, Fac. Philosophicæ Adjuncti elogio ornatus est: ac porro D. Iohannis Himmelii, hospitis sui patrocinio usus, de *peccato originali & actuali* contra Pontificios, annoque 1626. D. Iohannis Majoris præsidio nixus, *de Antichristo* disputavit. Postquam vero M. Iohanni Wedelio, Ienensi Archidiacono, eidemque Fac. Philosoph. Adjuncto parentaverat, Numburgum ad Scholæ Prorectoratum capessendum abiit. Parentatio illa Wedeliana, una cum programmate Slevoigtiano, typis est exscripta, ac Senatui inclytæ Reip. Ratisbonensis, quæ diu Wedelium sua aluit munificentia, inscripta. Numburgi auspicalem habuit orationem *de Gymnasiorum & Scholarum Lutheranarum decrementis ac remediis*: quam anno 1628. scholæ Martinianæ Brunswicensis fasces suscepturus, quando Numburgensibus valediceret, altera hujus argumenti excepit, ac utraque Brunswici fuit excusa. Sed & tertiam ab eodem conscriptam, nec editam tamen reperio. Martiniano illi ludo magna cum discentium utilitate, sed & non modica sui laude, præfuit Pater: sic ut ex ejus disciplina, tanquam ex Trojano equo, prodirent quamplurimi juvenes ad summam postea doctrinam magnosque honores contendentes: in quibus & ipse fuit Iohannes Christfried Sagittarius, Thomæ fratris filius, illustre illud Ecclesiæ nostræ

decus, ac ob venerabile ſenium verus Lutheranorum archipresbyter. Laudato anno 1628. Lipſiæ prodiit parentis *Prodromus diſciplinarum liberalium generalis.* Anno 1630. poema doctum ac elegans edidit *de Iona Ninevitas convertente*, una cum alio carmine ſacram *Sodomæ flagrantis* hiſtoriam complexo: quod jam anno 1622. primam lucem viderat. Hoc ſcriptum inſignem facultatem poeticam auctoris arguens, adeo placuit Wolfgango Heidero, Oratori & Poetæ excellenti, ut in hos elegos eruperit:

TE FRATRI ſimilem quondam CASPARE, futurum,
Arguit ingenii foetus hic ipſe tui,
Quo premis Andini veſtigia lubrica vatis.
Non licet hanc duram cuilibet ire viam.
Hoc opus eſt Genii, ſuperas qui fertur ad arces,
Vt volucris celeri miſſa ſagitta manu.
Perge, velut pergis. Labor omnia vincit, & urgens
Pauperies miſeras officioſa ſcholas.

Anno 1632. cum Georgius Dux Brunſwico-Luneburgenſis, toga ac ſago inclytus Heros, Parentem a ſacris ſibi eſſe vellet caſtrenſibus, Senatus Brunſwicenſis gravibus argumentis a Principe petiit, qui ſcholæ ſuæ diutius permitteret virum, tam præclare de pube ſcholaſtica meritum. Eodem anno, 18. Septembris uxorem duxit Catharinam, virginem lectiſſimam, Ioachimo Iordano, Catharinianæ ædis Paſtore natam ex Anna Loſſia: cujus pater fuit Hieronymus, avus Lucas Loſſius, magnus ille Lutheri ac Philippi diſcipulus, tot doctiſſimorum ſcriptorum auctor: quæ anno ſequenti, 9. Septembris primogenito Thoma, annoque 1635. 17. Auguſti Chriſtiano filiolo maritum beavit: hoc tamen anno 1637. 8. Ianuarii mortuo. Ad annum 1635. revertor, quo primum Pater Luneburgum vidit, occaſione nuptiarum Iohannis Danckwerti affinis, civis primarii, Diterico & Regina Iordania geniti. Et quia in ipſis illis nuptiis, ac alias perhonorifice habebatur, adeo id affecit ipſum, ut amor Luneburgi Brunſwicenſem vicerit. Anno 1638. 6. Novembris nata eſt ſoror mea Eliſabetha, anno 1662. Chriſtophoro Grungenio, Paſtori in ericis Luneburgicis Wridelano nupta, ſed poſt primum puerperium cum mariti, noſtræque familiæ non modico luctu ſub-

ſublata: renovavitque dolorem filiolæ eius poſt paucas hebdomadas præmaturus obitus. Anno 1639. 24. Aprilis deceſsit ſocer Patris laudatus, Ioachimus Iordanus, delicium Senatus populique Brunſwicenſis: quem ſequenti epitaphio ornavit Illuſtris Conringius:

Æternitas præco, cenſor optimus
Morum, magiſter legis atque Evangelî.
IOACHIMVS ille ſtirpe natus IORDANVM
Vita fideque gratiave Numinis
Æternitatem conſeqvutus, heic cubat.

Anno 1640. Pater meus ſeorſim excudi fecit Ciceronis *Philippicam XII.* adjectis margini argumentis & ſchematiſmis Rhetoricis, calci vero ſententiis inſignibus. Anno 1641. Spartam Brunſwicenſem cum Luneburgenſi commutans, Scholæ Senatoriæ ad S. Iohannem Rector factus eſt. Cauſas mutationis habuit varias: ſed potiſsimam his verſiculis expreſsit in valedictoria:

—— Fuit hæc divina voluntas
Quæ mentem traxit, tales ſuggeſsit & auſus.

Exeunte Februario præmiſſam conjugem & filiolam mox ipſe cum filio ſequebatur, octavo Martii urbem, 15. ſcholam ingreſſus: quam ſtrenue rexit & feliciter: ſic tamen ut interdum cum calumniis, nonnunquam cum immorigeris conflictaretur diſcipulis. Calumniarum graviſsima fuit, Diabolum in cathedra ſcholica ſpectabilem factis precibus diſpulſum: cum tamen nullus malus genius, ſed fex tumultuantium puerorum minime ſcholarium dominico die e ſubſelliis fuerint ejecta. Fabulam omnem multis verſibus complexus Pater in *Vita Cammanni* inferius laudanda. Gravior conflictus fuit cum triga nebulonum, qui Præceptorem inter Lunenſem ac Bardewiceenſem portas in vallo ſpatiantem aggreſsi, extrema ei minabantur omnia: quorum tamen, ſi quos concepere, conatus fregit procul adventans Iudex & Scholarcha, Chriſtianus Büſchius. Et mirum, proxima nocte ſomniaſſe Patrem de tribus ſerpentibus ipſum in vallo adorientibus, quorum uni miles adventans caput gladio amputaverit. Quod cum conjugi enarraſſet, ne illico ambula-

tioni consvetæ se daret, maritum obtestata, repulsam tulit. Anno 1641. 19. Martii nata est dulcissima soror mea Regina: quæ adultior facta, pietate, probitate, pulchritudine, modestia, aliisque virtutibus mirifice excelluit, ac inprimis Patrem curis annisque confectum singulari & exqvisito studio fovit: dignissima ob id annos vivere Nestorios. Sed paulo post Patris obitum Rutgero Mirovio Collegæ Scholæ Iohanneæ nubens, anno 1671. cœlestem animam cœlo reddidit, relicto mihi incredibili ejus desiderio. Laudato jam aliquoties anno 1641. 4. Augusti obiit Franciscus Witzendorpius, Cos. Luneburg. summe meritus, Ioh. Kirchmanni quondam discipulus: cujus virtutes ac studia ligata oratione in Schola celebravit 13. Septemb. quæ Hamburgi edita. Ipse autem natus sum Luneburgi anno 1643. 23. Septembris, inter ultimam primamque meridiei horas: eodemque anno Pater Helmstadii excudi fecit *primam* Demosthenis *Olynthiacam*; quam proximis annis exceperunt ceteræ. Anno 1645. elegantem scripsit *Paranesin poeticam* ad trigam fratrum Dithmarorum domi nobilium, Hartwicum, Ludolphum & Iohannem Laurentium. Anno 1646. ex decreto Senatus Luneburgici conscripsit monita scholastica, non parum postea æstimata ac probata. Et hic sextus erat annus, quo Scholæ Iohanneæ fuerat Rector: ac tum in ordinem Rev. Ministerii cooptatus, successor dabatur Ioachimo Pörtkenio, Ecclesiastæ ad S. Iohannis ædem, Viro docto ac eloquenti, sed nescio quibus de caussis Patri meo infenso, ac aliquoties pro concione in eundem invehenti. Et is quidem museo aliisque conclavibus inscribi fecerat non pauca S. Scripturæ dicta in parentem detorta: quæ hic, eandem postea domum inhabitans, sæpius spectavit, relegit, & digitum divinum stupuit. Tantum tamen abfuit a Patre, ut, quod multi volebant, dicam scriberet viro, ut etiam ægrotum sponte inviserit, mortuum eleganti carmine celebraverit. Anno 1647. 22. Februarii Anna Magdalena filia auctus 18. Julii eadem orbatus est. Hanc die 7. Novembris suo sequitur obitu svavissima mater mea Catharina, matrona ornatissima: quam tam impense dilexit Pater, ut viduam semper vitam, &, quod mireris, per integros viginti

annos

annos duxerit. Anno 1649. 29. Martii Brunſwici vitam cum morre commutavit Iohannes Cammannus, Ic. & Reip. patriæ per ſeptem & triginta annos a conſiliis, ac Syndicus primarius, vir multijuga in variis artibus ac diſciplinis ſcientia, ac pro illo ævo in orientalibus literis admiranda, præditus: ut de prudentia tantis muneribus fere propria nihil dicam. Et hujus quidem viri non potui non meminiſſe ſingulari ſtudio, quod Pater per omnem vitam liberaliorem Mæcenatem, Patronum conſtantiorem, amicum magis integrum non habuerit: ſic etiam ut inter utrumque convenerit de ſcribenda ab ſuperſtite alterius demortui vitæ hiſtoria: quod & Genitor meus paulo quidem lentius, ſancte tamen explevit, in prolixo illo doctoque poemate *vitam & ſtudia* Cammanni complexo, qvod pro juſſu paterno Thomas frater meus, ſponſore iſto in ſancto baptismate uſus, in hac Salana excudi fecit. Inſcriptum eſt Autori Cammanno, Cos. ac Scholarchæ Brunſwicenſi: quem tamen brevi poſt de vita deceſſiſſe conjicio: certe nullam hactenus reperire mihi licuit indicinam, quo animo vitam Patrui ac Patroni exceperit. Anno 1633. Chriſtiano Ludovico Brunſwico-Luneburgenſi Duci, *Euchologium metricum* dicavit Pater, ac pro eo munificentiam expertus eſt Ducalem. Anno 1655. Thomas frater meus e Roſtochienſi Academia redux, in hanc Salanam mittitur: qui tamen anno 1657. ipſis Auguſti Calendis in ædibus Friſchmuthianis obdormivit, in templo Academico ſepultus. Interea ipſe Pater, non diu poſt filii diſceſſum, ex ardenti febri graviter decubuit: quo tempore D. Iohannes Chriſtfried Sagittarius, miſſa Hiſtoriarum & Poeſios in hac Academia profesſione Orlamundanum agens Antiſtitem, ſomniavit, ægrotum patruum ſuam implorare opem, idque heic in ædibus cervi rufi inſigne habentibus, quæ olim propriæ fuere Thomæ Sagittarii. Id quod uterque poſtea, & in eo miram cognatorum συμπάθειαν miratus eſt. Anno 1661. Parens meus factus eſt Paſtor primarii templi S. Iohannis, M. Iohannis Braſchii, docti placidique viri ſucceſſor: quam Spartam ad ſanctam usqve ἀνάλυσιν ſumma fide ac induſtria, zeloqve egregio ornavit. Obiit demum placide admodum anno 1666. die 27. Aprilis, nullo inſi-
gni

gni morbo, sed senio confectus, idqve in lectulo Reginæ filiæ, in qvem a funere qvodam redux, ac lassus, deferri voluit: mihi ac sorori meæ facultates exiguas, sed locupletissimam divinam benedictionem, quam indies experior majorem, reliqvit. Vivit anima in cœlis, nominis autem memoria tum in hac Salana, tum Numburgi, & Brunswici, ac inprimis Luneburgi, floret: & forte donec erit patria, M. Casparis Sagittarii merita in ea annabunt atqve perennabunt.

Epitaphium quod eidem Luneburgi positum, subjicio.

M. CASPAR. SAGITTARIVS
OSTERBVRGO. MARCHICVS
VIR. PIVS. PROBVS. ERVDITVS. LABORVM. AC AERVMNARVM. PATIENS. NVMBVRGI. QVONDAM. PRORECTOR. TVM. BRVNSWICI. MARTINIANAE. DEINDE. LVNENBVRGI. SENATORIAE. SCHOLAE. RECTOR. POSTQVAM. DEINCEPS. TEMPLI. HVIVS. CATHEDRALIS. ECCLESIASTEN. XVI. ANNIS. ET. PASTOREM DEMVM. PER. QVINQVENNIVM. NON. DOCTRINA. TANTVM. SED. ET. VITAE. INNOCENTIA. EGERAT. DIE. XXVII. APRIL. ANNO AER. CHR. cIↄ Iↄc LXVII. ANNO. AETATIS. LXX PLACIDE. IN. CHRISTO. OBDORMIVIT. CVM VIVVS. PINGI. NOLVERIT. PATER. DESIDERATISS. PIE. DEMORTVI. EFFIGIEM. HEIC DEDICARE. VOLVIT. FILIVS.
CASPAR. SAGITTARIVS.

1670 CLV. Anno cIↄIↄcLXX. post exercitium jaculatorium de præcipuo victore nata est contentio, quæ non nisi responsis juridicis potuit definiri.

1671 CLVI. Anno cIↄIↄcLXXI. Wilhelmina Ernestina, Princeps Danica, Caroli Palatini junioris sponsa, Luneburgum mense Augusto veniens, tertio die abiit. Nono Decembris die obiit D. Petrus Rehebinderus Superintendens, sumtibus Senatus honorifice sepultus.

CLVII.

CLVII. Anno CIϽ IϽC LXXV. nova munimenta ad rubeam ac Lunensem portam, sed & ergastulum in area cœnobii S. Mariæ fuere condita. Et hujus quidem instituti præcipuus promotor fuit Arnoldus Arnoldi (Arnd Arnds) Senator, qui nuper admodum vivere desiit. Anno CIϽ IϽC LXXVII. Elmenovia vehementer intumescens pontes aliquot sustulit.

CLIIX. Anno CIϽ IϽC LXXXVII. duo Patricii Consules 1687
Hieronymus a Lasserdes & Georgius a Dassel obiere: quibus hoc ipso anno CIϽ IϽC LXXXVIII. successores dati sunt 1688
Brandanus Ludolphus Stöteroggius, & Christophorus Tobingius.

CLIX. Et hi quidem Collegas habent Consules, Georgium Büschium, & Iohannem Reinbeckium, Ictos. Quos excipiunt Syndici duo, Tobias Reimers, & Helfricus Diterici, I. V. Licentiati: itemque Senatores: Christianus Pape, Joachimus a Ditmers, Johannes Christianus Gödemann, Johannes a Cöllen, Hermannus Fridericus a Witzendorp, Johannes Otto, Joachimus Meincke, Ludolphus Töbing, Conradus Döring, Joachimus Zimmermann, Heinricus Eberhardus Schnarmacher, J. V. Lic. Johannes Döring.

CLX. Reverendo Ministerio cum Superintendentis elogio hactenus præfuit Caspar Hermannus Sandhagen: cujus successor designatus est Johannes Wilhelmus Petersen, SS. Th. D. Sequuntur: Georgius Meier, SS. Theol. D. ad S. Lamberti, M. Heinricus Brasche ad S. Nicolai, M. Johannes Buno ad S. Michaelis templa Pastores. Gunthérus Heilerus SS. Theol. D. ad S. Johannis ædem Pastor, nuper in Pomeraniam discessit, Præpositi ac Generalis Superintendentis Sparta ornatus Stargardiæ. Reliqui Ecclesiastæ hi

ſunt: Martinus Schepelius ad ædem S. Spiritus, Hieronymus Koltemann, & Chriſtianus Rikemann ad S. Nicolai, Johannes Fridericus Koltemann, Hieronymi filius, ad S. Lamberti, M. Johannes Voigt, ad S. Michaelis, Johannes Gabriel Sandhagen, ad S. Johan. M. Nicolaus Eggers, ad S. Lamberti.

CLXI. Atque ut Deus O. M. Patriæ conſcriptos Patres, Reverendum item Miniſterium, nec minus etiam utriusqve Scholæ doctores, bonos deniqve cives omnes, diutiſſime ſervet ac conſervet, ex animi ſententia opto.

FINIS.



AD
PRÆSTANTISSIMUM RESPONDENTEM
HENRICUM GAUSE
LUNEBURGENSEM
CUM DE PATRIÆ MEMORABILIBUS HISTORICIS
DISPUTARET.

Pessima hæc fata sunt
studiorum ac artium optimarum:
Quanto qvæque majorem usum afferrent,
& ad ornamenta valerent insigniora;
tanto plerique eas & negligunt securius,
& fugiunt etiam longius.
ac si, quæ publicæ rei sunt honestamenta,
propria singulorum infamia essent.
Ea contra sua faciunt,
quæ cum a commodo luculentiori,
tum & laudis aliquo decore
aliena & procul posita sunt.
Ita errore solemni
in veterum historiis Gentium
habitant & commorantur;
qui patriæ in memoriis
rudissimi sunt hospites.
Inepti quidem peregrinatores,
qui obsoleta exempla apud Garamantas
scrutantur,


ante quam requirant,
quid domi sit suæ repositum.
Saltem idcirco aliter fieri oporteret,
qvod, qvicqvid a DEO colimus,
non recte colimus, si ante patriam colamus.
Tu adeo recto tramite decurris,
PRÆSTANTISSIME GAVSI,
qui neque a literis ceteris unquam abhorruisti,
& in primis patriæ amplecteris historiam,
ut magis in alteris proficeres.
Efficacius enim auctoritas movet
clarorum in exteris nominum,
si patriæ ante exempla virtutis
caritate honesti animos imbuerunt.
Tantum est,
si studiorum rectores ac Mæcenates
prudentes, candidi,
discendi cupidis contingant.
Vt Tibi, GAVSI EXIMIE,
longe excellentissimus Doctor
CASPAR SAGITTARIVS.
Cujus cum cetera in rem literariam merita
in seculi ornamentis insignia sunt,
tum in communis patriæ Germanorum
literis ac memoriis
prorsus is sine pari regnat,
Teutoniæ vera Βιβλιοθήκη ἔμψυχος.

Qui

Qui Saxonici elogium gerit Historici,
ac diu ante ab universa Germania
meruit appellationem.
Neque poterat,
ut Istantus propriam non ornaret patriam,
Cui quod debuit, diu jam dare cœpit,
in Historia Bardevvici,
Originibus Sulciæ Luneburgensis,
ac Luneburgi ipsius originibus.
Quin &,
ut egregiis per se æternum laudibus viveret,
quæ sibi nutrix fuisset benigna,
pleniores molitur ac exasciat
florentissimæ civitatis commentarios:
quorum quasi sponsores quosdam
legat ad Patres patriæ
Memorabilia Historiæ Luneburgensis.
Quæ scitissimum emblema distinguit
vitæ historiola
CASPARIS SAGITTARII
parentis optimi,
viri & de bonis artibus & de ecclesia
longe meritissimi,
quæ & virtutis magnæ
& divinæ providentiæ
clarissima aliquot documenta monstrat.

Ut jam non paullo certius
clarissimi THOMAE SAGITTARII
patrui sui,
ac Academiæ nostræ olim Professoris
de vita scribenda sperare possimus,
postquam beatissimo Patri justa sunt soluta.
Tu vero perge,
PRÆSTANTISSIME GAUSI
studia sub fortunato moderamine urgere,
ut diu adhuc agis.
Patria
amore suo te jubet confidere:
quod qui conseqvuntur præmium
laboris ac industriæ suæ,
abunde sunt felices.

COMMENSALES SAGITTARIANI.


63
1.7.393

